AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN DER DDR
ZENTRALINSTITUT
FÜR ALTE GESCHICHTE UND ARCHÄOLOGIE

BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA



BSB B. G. TEUBNER VERLAGSGESELLSCHAFT
1982

M. PORCI CATONIS

DE AGRI CVLTVRA

AD FIDEM FLORENTINI CODICIS
DEPERDITI

ITERATIS CVRIS

EDIDIT

ANTONIVS MAZZARINO

ADIECTAE SVNT DVODECIM TABVLAE



BSB B.G. TEUBNER VERLAGSGESELLSCHAFT
1982

BIBLIOTHECAE TEVBNERIANAE
HVIVS TEMPORIS
REDACTOR: GÜNTHER CHRISTIAN HANSEN

2. Auflage
VLN 294/375/87/82 · LSV 0886
Lektor: Dr. phil. Elisabeth Schuhmann
Printed in the German Democratic Republic
Gesamtherstellung: INTERDRUCK Graphischer Großbetrieb, Leipzig – III/18/97
Bestell-Nr. 665 904 6
DDR 44,– M

ANSGARIO ALOISIO SCALFARO

D.

EPISTVLA AD ANSGARIVM ALOISIVM SCALFARO

Ex me fortasse quaeres, Ansgari iocundissime, quanam ego adductus causa tam longum temporis interiecerim interuallum inter hanc nouiciam atque priorem editionem. recognoscendam enim dixeris priorem abhinc amplius XVI annis utpote prolatam: nec fateri queo librari defuisse hortamentum ut iteratis curis editionem alteram quam celerrime emitterem.

Certe edepol laboriosum est et taedio plenum (Plini Caecili uerba sunt haec, nihil addo de meo) tractata retractare, recalescere ex integro et resumere impetum fractum omissumque, postremo noua uelut membra peracto corpori intexere.

Verum enimuero ex eo procrastinationis meae et morae ratio oriebatur quod in maxuma eram, fatebor, exspectatione editionis, quam a. 1950 praenuntiatam Radulfus Goujard, annorum numerum ferme triplicans quem Flaccus ad opus suadet promendum, a. 1975 tandem aliquando foras dedit commentario quoque adauctam atque in gallicum sermonem translatione. me de auctoritate huius uiri docti deque diligentia quamuis subdubitantem ea fecissent quae complura olim adnotaueram[1]), in spem tamen eram egomet ingressus illum ex tarditate editionem esse prolaturum accurate instructam atque paratam.

Meae tamen exspectationi non respondit editio: in qua adparanda nescio an ille, in serium conuortens quae Fronto per iocum scripsit, neglegentiam iudicarit bono

---

1) in priore editione Catonis libri (Lipsiae 1962), p. LXVIII sqq.; LXXIV sq. (uid. infra, p. XCIV sq.; XCIX sq.).

genere natam, dis acceptam, sapientibus probatam, uirtutum participem, indulgentiae magistram, tutam ab insidiis, excusatam in erratis. ille enim (paucula ut delibem peccata[1]), iis accedentia quae nuperrime uir doctissumus Renatus Martin gustatu explorauit[2])) uiros doctos, qui Catonis ad opusculum recensendum incubuerunt, interuallatis ut ita dicam haustibus de Lethaeo gurgite quasi bibens, nunc memorat interdum nescio qua de causa taciturnitati tradit; modo nullam facit mentionem complurium coniecturarum, quae studiosis proponantur et licet et oportet; modo de alieno liberalis alienis coloribus se adornare uidetur; modo per imprudentiam lapsus legentes decipit inque errorem rapit, Titio cum addicat coniecturam quae re uera Seio in mentem uenerat[3]). neque me fugit istiusmodi uitia nostris tempori-

1) plura alias. — non pauca adprehendis in hac editione typographica menda: quorum nonnulla talis sunt naturae ut uitium primo obtutu aduertere possis (e. g.: c. 5, 2 *dominus* pro *-num*; c. 18, 9 *crassam* pro *-um* [item c. 95, 1]; c. 57 *elibere* pro *ebi-*; c. 81 *confrigito* pro *-fring-*; c. 82 *pugnam* pro *-um*; c. 115, 2 *cam* pro *cum*; c. 154 *imam* pro *-um*); alia tamen fallaciosa studiosum decipere possunt, utputa: praef. 1 *existimarent* pro *-rint*; c. 5, 2 *imperauit* pro *-uerit*; c. 10,5 *farrearium* pro *f. I* [item c. 11, 2 *iugum uinarium* pro *i. u. I*]; c. 22, 2 *deorsum* pro *-som*; c. 23, 1 *sint* pro *sunt*; c. 33, 3 *a sulcis* pro *ab s.*; c. 41, 3 *coniunges* pro *-gas*; c. 45, 3 *transuersos* pro *-uor-*; c. 48, 1 *seras* pro *-es*; c. 53 *priusquam maturum siet* pro *p. semen m. s.*; c. 76, 4 *tum* pro *tunc*; c. 98, 2 *suppellectilem* pro *supell-*; c. 106, 2 *Aminii* pro *-innii*; c. 127, 2 *ascendat* pro *inscen-*; c. 148, 1 *proximo* pro *-xu-*; c. 157, 1 *habent* pro *-beant*; c. 160 *altera alterum* pro *a. alteram*. — nec in meam intellegentiam cadunt in 'Indice nominum et rerum' lemmata, ut puta (p. 339) '*seruus senis* [sic!], *morbosus* 2, 7' uel (p. 327) '*calamitates deprecantur suouitaurilibus*, 141, 2'.

2) Rev. ét lat. 53, 1975, 448.

3) breue libamentum dare nunc satis erit. in primis illud non olet unde sit quod Paulum Thielscher Radulfus Goujard tamquam nouissimum indicat Catonis opusculi editorem, Iosephi Kun editionem silentio transiens quam, praefatione quoque luculenta ditatam Egonis Maróti atque ab Samuele Szádeczky-Kardoss exhibitam, Academia Budapestina a. 1966 publicauit.

plus re uera utilitatis ex commentario goujardiano ut capias interdum accidere potest quam ex apparatu critico. in quo huiusmodi inuenies adnotationes, ut puta c. 53: 'bubus *add. Pont.*: boues *add. Keil Goetz*'. ut illud missum faciam, Goujardum recu-

bus iam increbruisse obrutamque obliuione Plini auonculi praedicationem, benignum esse et plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris.

Attamen ne uidear intempestiue censorium opus obiurgandis moribus nostrorum temporum suscepisse (Columellae haec uerba agnosces), naturam huius nouiciae editionis paucis persequar: quae an quid ab priore et quantulum differat iudicio tuo relinquo. ab umbilico uolumen si reuoluas, augmentatos inuenies indices: quorum unus res exhibet ad methodicen pertinentes; nec talis est Catonianus sermo ut indiculo possit apte definiri commodeque concludi; nec omnia sunt in syntaxi Catoniana quae faciles habeant explicatus. hunc igitur indicem tu uelim atque lector beniuolus nihil aliud consideretis nisi specimen idemque mancum atque uitiosum, utpote in quo memoratu digna non omnia sed pauca tantummodo afferantur.

---

sare studiosi ne certiores fiant quid in aliis sit editionibus inferioris aetatis, ut hoc praeteream (quod proh multoties aduertitur in apparatu goujardiano!), scias uelim Pontederam minime *bubus* 'addidisse'. qui mehercule ista uoce, ex subsequenti capite, i. e. ex c. 54 (cuius uerba sunt inceptiua *Bubus pabulum hoc modo parari* eqs.) transmota, c. 53 clausit atque uocabulo *Pabulum*, aduerbio *denique* ad arbitrium addito (igitur *Pabulum hoc modo denique parari oportet*), insequens aperuit c. 54.

est in c. 161 (§ 2), ubi de asparagi satione fit sermo, scriptura, quam omnes uiri docti inquinatam censent ideoque castigandam, *sum* dico: *quo anno seueris* [scil. *asparagum*], ait Cato, *sum stramentis per hiemem operito, ne praeuratur.* ipsam tamen tutatur Goujard hoc annotamento subiecto: 'sum (=eum) *Abc/P*: sine *m Ps.l.* satum *Goetz* semen *Keil*'. hinc duae emicant res: altera (quae ab Goujardo in apparatu frequentatur) ridicula (nam lectionem codicis **m** bis repetit ille, idem cum ualeat '*P s.l.*' quod 'scriptura quam e codice **m** erutam Politianus supra lineam in editione Meruliana adnotauit': uid. infra, p. CII, adn. 1), reprobabilis altera, quandoquidem adnotatio 'sum (=eum)' studiosum occulit qui, recte aut perperam, lectionem *sum* custodiendam esse monuit, Festi (p. 384, 25 L.) fretus testimonio '*sum*' *pro* '*eum*' *usus est Ennius lib. I* eqs. Istam incusatiui uetustam formam pronominis 'is' quandoquidem attigi, adnotationem subiciam quam ad c. 145, 1 in apparatu adposuit Goujard: 'domino *add. Usener* (*Mus. Rhen. 1864*) *Keil*[2] quis eam *codd. P Vict.* qui sam *coni. H. K. Usener* (*Mus. f. Philol. 1954*) *fort. recte*'. ex qua ut argumenteris compelleris tum

Ex optato Maximiliani Wellmann, qui a. 1921 (anno igitur ante quam Georgius Goetz suam editionem publicaret) nouam precabatur Catonis editionem locis ditatam parallelis, uel maxume in editione priore sum ego molitus quam plurima Catonis agricolaris uestigia apud scriptores exquirere inque apparatu ad hoc instituto ipsa colligere. neque loci, quos similes non admodum multos hic illic in nouella editione additos reperies, scrutationem reddunt consummatam atque exhaustam: nam non infitior alia insuper me praeterisse quamuis inquirentem sedule.

Item quantum saecula Catonis chartis rusticanis profuissent in priore editione uestigaui libellique fatum primoribus labris, ut aiunt, attigi. neque temere ego 'attigi' dico neque subdola uel simulata humilitate: nouum enim et longum iter ingredi inceperam nec superioribus umquam temptatum, quod quidem in altera editione parum pansum ne aduertas timeo. confidebam profecto prioris editionis iudicum aliquem fore qui

---

duos fuisse uiros doctos, qui, eodem cognomine Usener coniuncti at diuersis distincti nominibus ('H.' et 'H. K.') et disparibus aetatibus uiuentes et florentes, ad c. 145 cogitationes intendissent, tum duas exstare ephemeridas, alteram 'Mus. Rhen.' (i.e. 'Rhein. Mus. f. Philol.') intitulatam, alteram 'Mus. f. Philol.'.

nec desunt in apparatu goujardiano adnotationes quae rerum fidem aperte corrumpunt. unum de multis afferam exemplum. ad c. 63 (*Funem torculum esse oportet extentum pedes LV; funem loreum in plaustrum p. LX, lora retinacula longa p. XXVI, subiugia in plostrum p. XIIX, funiculum p. XV; in arat⟨r⟩um subiugia lora p. XVI, funiculum p. VIII*) haec adnotauit Goujard: „in plostrum *cdf P*: plostrum *ut uid. A*[2] lorum *A*[1] || p. XIIX *bcfV*: p. XVI *A* || aratrum v: -tum *codd. P* || lora *Turn.*: -rum *codd. P.*" ut missum faciam **P** priore in loco (ad hunc enim Goujardi adnotatio haut dubie pertinet) eandem praebere scripturam, i. e. *in plaustrum*, quae in exstantibus deprehenditur libris manuscriptis, animaduertas uelim post prius *subiugia* codicis **A** librarium *lorum p. XVI* scripsisse, quandoquidem eius oculi ad insequens *subiugia* delapsi sunt, **A**[2] tamen, uoce *lorum* in *plostrum* mutata, quae **A** omiserat in margine addidisse (i. e. *funiculum p. XV in aratum subiugia lorum p. XVI*). congruit igitur (uid. tamen infra, p. C, adn.) **A** (et **A**[2]) tum cum exstantibus manuscriptis tum cum **P**.

sed haec hactenus: permulta alia aliubi tractabimus.

aliunde materiam subministrans ampliorem faceret Catonis agricolaris et lectorum et imitatorum numerum. uerba enim Plini auonculi 'ego plane meis adici posse multa confiteor' illam aperiunt editionem, quam — Hrotsvithae ut uerbis utar — etsi non parua diligentia inlaboratam, omnium sapientium benignitati obtuleram expurgandam atque meliorandam.

Accommodate in mentem mihi uenit Hrotsvitha: cuius editor ille egregius, Karolum Strecker dico, octo signa cum adhibuissee ad concentum indicandum a poetride ipsa effectum, exagitatorem an inuenerit nescio. ego quidem qui Petri Victori ope usus et exstantium manuscriptorum, nihil antiquius cum habuissem quam Florentinum codicem deperditum (cuius scripturam in editione principe adnotauit Angelus Politianus) ad uitam quasi reuocare, pluriformes adhibui notas, non medius fidius quia lubidinosae nouitatis eram ego cupidus, sed quia, oculorum delectationi utilitatem anteponendam esse cum arbitrarer, inuentum illud mihi et habui et habeo persuasum studiosis profuturum. quin etiam nouum aliud signum in nouella editione sum commentus, quo patentius notificarem Florentini codicis deperditi lectiones, quas in Explicationibus suarum castigationum in Catonem et Varronem Petrus Victorius testatus est. nec ignoro quantam mihi concitem pugnam nouum istud signum addenti: res namque nouae et utiliter excogitatae leuem (hoc me docuit usus) pariunt gratiam.

Publicis negotiis etsi districtus atque occupatus, editionem principem, de qua supra, rursus contuli. αὐτοψεὶ uel phototypice expressos manuscriptos iterum inspexi: nec eos modo qui ad fundamina prioris editionis iacienda mihi praesto fuere, sed eos etiam quos in siluulam codicum saec. XV exaratorum relegaui[1]). nec paruum gaudium mihi datum est ut oculis haurirem:

---

1) his Montepessulanum (cuius photographicas taeniolas comiter et benigne Natalina de La Blanchardière mihi expediit) atque Bodleianum addidi, qui nullo tamen detrimento me in priore editione fugerant.

recentiore namque animaduerti nimium saepe superiorem confirmatam esse collationem.

Haud raro fit, Ansgari suauissime, ut priores editiones utilitatem capiant maxumam ex disceptationibus quas exim uiri docti siue in censuris siue in scriptis cuiusuis generis prosperas iactant atque fructuosas. quod ad meam attinet Catonis opusculi *πρώτην ἔκδοσιν* peropportune contigit ut in illam studiosi eminentissimi censuris incumberent. paucos tamen excerpere in animo est: nec habeo quid Renato Martín praeclaro illi rei rusticae scriptorum studioso uel Entio Marmorale, homini optime de Catone merito, uel Quintino Cataudella, philologo iudicii subtilissimi, respondeam, quandoquidem ipsi non artificiosa assentatione sed sincera et integra assensione, maxumum meo labori solacium praebentes, de editione sunt argumentati.

Perattente censuram legi Iacobi André[1]), cui quantum debeant qui in auctoribus de rebus rusticis elaborant, nemo est qui nesciat. itaque lubenti animo aduerti tantum hominem lectiones aliquas probasse a me in coniectura positas, *compluariam* (c. 7, 1) dico et *inerctum* (c. 13, 2) et *die X* (c. 104, 2). at lubentius comperisse uellem quid ille de aliis plurimis coniecturis sentiret, quibus totum (ueritatis fidem seruo nec plus dico quam patitur ueritas) ego modo emendando modo distinguendo modo dubitando texui librum.

Attamen ad quattuor solummodo mearum coniecturarum animum ille traducit suum deque ipsis dissentit: *in malam conicito* (c. 157,15), *depetigini spurcae* (ibid. 16), *propages ⟨sub⟩ sulcos* (c. 32, 1), *umiferi* (c. 157, 11)[2]). re uera falsae scripturae *de petiginis porcae*, quae et in codice Florentino fuit[3]) et in cunctis exstantibus manu-

1) Latomus 22, 1963, 291 sq.
2) de *umiferi* uid. quae infra disputabimus, p. XLVII, adn.
3) Victorius tamen *de petigenis porcae* se legisse testificatur: uid. infra, p. LXVII.

scriptis deprehenditur, emendatio *depetigini spurcae* Ioanni Schneider debetur, qui ipsam ab Iulio Pontedera sumpsit mutuam. nec plures, meo quidem iudicio, habet probabilitatis numeros coniectatio *depetigini porcae*, quam ex tenebris obliuionis (nam abhinc amplius CCCL annis allata est) euocauit André, ignarus tamen ipsam iam ab Ausonio Popma, idem argumentum adferente, factam esse a. 1620. suo enim arbitratu affirmauit Popma Varronem in II rerum rusticarum (4, 10) 'porcam' dixisse *τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον*, cum reapse haec apud Reatinum legantur: „nostrae mulieres, maxime nutrices, naturam quam feminae sunt in uirginibus appellant 'porcum', et graece 'choeron'"[1]). huc accedit quod in laudibus brassicae recensendis a Catone concelebratis Plinius de impetiginibus generaliter, non particulatim de locorum muliebrium impetiginibus loquitur.

Profiteor me iamdudum esse dubietate sollicitatum an in tradita scriptura *de petiginis porcae*, i. e. *depetigini sporcae*, mentio psorae delitescat, ut in uoce *sporcae* litterarum transmutationem ego suspicans *ps* in *sp*, quae haud raro et in titulis aduertitur[2]) et in codicibus manuscriptis[3]), *depetigini spor⟨i⟩cae*, i. e. *d. psor⟨i⟩cae* (cf. gr. *ψωρικός*: an per syncopam *sporcae*, i. e. *psorcae*?) legendum haesitanter coniecerim[4]).

Synonymon, ni fallor, uel aliquid tale postulat in

---

1) 'porca' tamen in glossis legitur graeco-latinis, quae Cyrilli falso dicuntur: CGL II 477, 47: '*χοῖρος θήλεια* porca'.

2) uid., e. g., CIL VI 10138 (= ILS 5248): *spaltria* pro *psaltria*; IX 3971: *Spyche* pro *Psyche*; XIII 10021, 209 (uid. etiam 166): *diasporic(um)* pro *diapsoric(um)*.

3) uid., e. g., Plaut., Pseud. 898, ubi uetustissimus Ambrosianus (saec. IV–V) *Speudolo* pro *Pseudolo* scripsit; Plin., n. h. 20, 41 *sporas* (cod. Paris. 6800, saec. XII) pro *psoras* et 31, 101 *sporas* (cod. Vindob. 234, saec. XII–XIII) item pro *psoras*. atque animaduertas uelim in glossis cod. Leid. Voss. Q 68 (saec. VIII–IX), in quibus nonnulla explicantur Cassiani uerba (f. 30ᵘ = CGL V 417 sq.), non *psiathio* ex V de coenobiorum institutis (c. 35 = Migne PL 49, 254), sed *spiathio* scriptum esse.

4) an, deleta *c*, de scriptura *sporae*, i.e. *psorae*, est cogitandum, quae tamquam glossa ad *depetigini* in margine appicta, ex margine in contextum inrepsit?

Catonis contextu capitis 157 (§ 15: *brassicam erraticam aridam tritam in* *malum* *conicito et ad nasum admoueto*) uox 'olfactorium' (uel 'olfactoria'), qua Plinius utitur ad instrumentum indicandum in quod trita iniciatur brassica erratica (n. h. 20, 92: *siluestris siue erraticae immenso plus effectus laudat Cato, adeo ut aridae quoque farinae in* *olfactorio* [*-riae* codd., *-ria* André, *-rio* uett. edd., Mayhoff] *collectae uel odore tantum naribus rapto uitia earum graueolentiamque sanari adfirmet* [*-at* Paris. 6800, *-ent* uel *-ant* cett.: em. uett. edd.]). hac adductus consideratione ego Galeni memor[1]) (qui in polypi curatione τὴν μήλην adhibet ad aliquid in nares infundendum) mihi persuasum habui (atque hodieque habeo) inquinatam scripturam *in malum* leui immutatione *in malam* esse corrigendam uocabuloque *mala* uocem graecam μήλη, quae 'μάλα' (= lat. *mala*) sonat δωριστί, redditam esse. simpliciorem ingressus uiam, *in manum* dum censet André esse legendum, coniectationem meam reicit, quae (ipsius uerba subiciam) „postule dans Pline, 20, 92, la correction de *affirment* en *affirmet*, qui ne s'impose pas"[2]). at si editionem inspexeris quam libri XX naturalis historiae André curauit, scripturae *adfirment* ab codicibus Parisino 6797 et Toletano 47 – 14 (saec. XIII) in illa paragrapho traditae *n* litteram illum sibimet ipsi repugnantem dempsisse mirabundus deprehendes.

Item miraberis quod uir iste doctissimus scripturam *magaricos* 'contre toute[2]) la tradition des agronomes et d'Ovide' me in capite 8 (§ 2) recepisse cum affirmaret, sese oblitum esse monstrat ipsam in cunctis Plini codicibus exstare n. h. XIX, cuius in paragrapho 93 Catonianum caput illud memoratur[3]); atque magis mira-

1) XII 687 Kühn; ad meam comprobandam coniectationem alium Galeni locum (XII 681 Kühn) affert Boscherini, Lingua e scienza greca nel «De agri cultura» di Catone, Roma 1970, 90. 214.

2) interuallis ego litteras distinxi.

3) quod et Iosephum Svennung latuit, qui (Eranos 32, 1934, 6) ad tutandam in Catonis capite scripturam *magaricos* ab Florentino deperdito traditam exstantibusque libris, Pelagoni c. 463 solummodo memorat, ubi *bulbos magaricos XV* legitur.

beris quod libri XIX naturalis historiae (in quo igitur bulbos 'magaricos' non 'megaricos' Plinium scripsisse libri docent manuscripti) Iacobus André diligentissimus fuit editor.

Nec 'necessarium' cum Andréo dixerim additamentum *duodecimo*[1]), quod Iucundo duce omnes editores concorditer faciunt in c. 57. in quo Cato, de uino cum disputet inter annum familiae metiendo, talem se praebet ut ipsum cerebrosum prima specie dixeris obstupescens. quadripartita, ut ita dicam, mensium serie statuta, menses non ex temporum maturitatibus computat Cato, sed ab die non finita proficiscens (dictionem enim qua utitur 'ubi uindemia facta erit' uagam esse non est infitiandum, iustum uindemiae tempus XLVIII cum amplectatur dies[2]), tres memorat menses (nullo nomine designatos), quibus non uinum, sed loram dandam praecipit. sequitur unus, qui, 'quartus' appellitatus, ex XXX constat diebus: uini enim ratio cottidiana, quam ad modum mensurae unius heminae in quarto mense dari iubet Cato, uini summam cum efficiat IIS congios, summam facit dierum XXX. qua de re hoc animaduertas uelim, Catonis mensurarum modum ad amussim illi respondere quem et Festus (i. e. Verrius Flaccus) et Volucius Maecianus definiunt[3]). quartum quattuor secuntur menses ('quinto sexto septimo octauo'), quibus

---

1) André, l. l.: «la chute de *duodecimo*, dont l'addition proposée par Iucundus est nécessaire pour le compte des douze mois, est si facile: *un⟨decimo duo⟩decimo*».

2) ab aequinoctio scilicet autumnali (i. e. a. d. VIII kal. Oct.) ad Vergiliarum occasum (i. e. a. d. III id. Nou.): cf. praesertim Varr. r. r. 1, 34, 2; Plin., n. h. 18, 319.

3) cf., e. g., lex Silia ap. Fest. 288, 28 L.: '...sex sextari congius siet uini; duodequinquaginta [duoquinquaginta ex IIL cod.: corr. Vrsinus] sextari quadrantal sit uini'; Fest. 312, 15 L.: 'quadranta⟨l⟩ uocabant antiqui quam ex graeco 'amphoram' dicunt, quod uas pedis quadrati octo et XL capit sextarios'; Paul. Fest. 89, 13 L.: 'hemina...est dimidia pars sextarii'; Maecian. 79 (= Metrol. script. rell. II p. 71, 7 Hultsch): 'quadrantal, quod nunc plerique amphoram uocant, habet...congios octo, sextarios quadraginta octo, heminas nonaginta sex'; al.

rationem diurnam Cato (nescio qua causa) duplicat: tricenis diebus quattuor quisque istorum mensium item constat: nam singuli sextarii (i. e. binae heminae), quos in singulos homines cotidiano istis in mensibus Cato assignat, summam efficiunt menstruam XXX sextariorum, i. e. LX heminarum, i. e., ut Cato ait, congiorum V. seriem quadripartitam, de qua supra, tres claudunt menses, quos singulos tricenis et binis diebus dixeris expeditos. uerbis enim 'in dies heminas ternas' (haec est ratio uini cotidie danda 'nono decimo undecimo' mensibus[1])) Cato haec addit: 'id est amphoram'. quae heminas – Keili pace dicam[2]) – LXXXXVI cum capiat, XXXII dies singulus ut habeat mensis nos monet. nam tricies bis ternae (heminae) fiunt LXXXXVI heminae, i. e. amphora.

Igitur, ad dierum numerum quod attinet in 'ephemeride uinaria' ab Catone praescriptorum, CCCXXXVI colliguntur dies, in his XC tantummodo dies si computes quibus loram familia bibit; ad uini summam quod attinet, tribus detractis mensibus quibus bibitur lora, DLVIII heminas singulis hominibus assignatas numerabis, i. e. (XCVI heminas quadrantal cum capiat) quadrantalia V et heminas LXXVIII. computus tamen uini inter annum dandi portiones quoque comprehendit quas, uiritim metiendas Saturnalibus et Compitalibus, Cato largiore assignat manu. uno enim die (si Festum, i. e. Verrium Flaccum, sequi uolumus) Saturnaliorum,

---

1) quam igitur dimidio sextario auctam deprehendis prae diebus quinti sexti septimi octaui mensium, uno sextario prae diebus quarti.

2) Keil, comm. ad l. (p. 93): 'nonaginta sex heminae quadrantali a Catone tribuuntur, non nonaginta, quae supra tributae erant amphorae. amphoram enim sine certa mensurae significatione dixit vasa olearia et vinaria 10, 2. 11, 2. 13, 2. 88, 1. 105, 2. 113, 2. 115, 1. 120. 127, 1 et una cum urna c. 36 *circum capita maiora amphoras, ad minora urnas cum aquae dimidio addito*. ubi certam mensuram indicare volebat, quadrantal dixit, non amphoram, 10, 2 *ahenum quod capiat Q. XXX* et *quod capiat Q. V*, item 13, 1. 24. 104. 105. 106. 112, 3. 127, 1. 144, 5 et 112, 1 *quadrantalibus quinque minus sit quam plenum*.'

item uno Compitaliorum die[1]) tot dantur heminae quot per XII dies quarto mense, per VI ab quinto ad octauum mensem, per IV denique dies ab nono ad undecimum. hasce heminas (XXIV) si superioribus DLVIII addideris, summam habebis DLXXXII, i. e. VI quadrantalia et VI heminas.

Superiora disputata si consideraueris, Catonem negabis in c. 57 ciuilis anni rationem habuisse[2]): caput enim trium mensium, quibus lora bibitur, nec Martium dicere possis nec Ianuarium. item menses 'nonus decimus undecimus' in isto Catonis capite tricenos binos cum habeant dies, in ciuilem annum redire nequeunt, qui is temporibus Romae fuit. nec, Censorini liber si prae tuis erit manibus, miraberis quod XXXII dies 'nono decimo undecimo' mensibus assignet Cato: tali namque explebant numero dies e. g. Octobris Catonis conciues, Tusculanos dico, qui Quintilem faciebant dies XXXVI amplectentem. quae cum ita sint, nequeo mihi temperare quominus perquam etsi haesitabundus de calendario quodam rusticano cogitem, non ad *παράπηγμα ἐνιαύσιον* redacto sed ad uini numerum indicandum in XIII partitum portiones, quarum prima, ut ita dicam, XI menses comprehendit, secunda Saturnalia, tertia Compitalia. quod si additamentum *duodecimo* feceris ut 'silentium difficilius' rumpas quod tam religiose quam inexplicabiliter et duo exemplaria seruauerant de quibus Marcianus usque ad c. 81 emendauerat[3]) et omnes tenent libri exstantes manuscripti, nec summam habebis quae in

---

1) uid., e.g., Fest. 304, 35 L.: 'errant tam hercule, quam qui triduo Saturnalia, et totidem Compitalia: nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra'.

2) attamen hanc rem profecto mirabilem (quae fortuitorum concursioni an debeatur nescio) mihi contigit ut aduerterem, summam sextariorum, quos ab quarto ad undecimum mensem dandos Cato praecipit, talem esse ut, numerum omnino cum efficiat CCLXX, eundem reddat dierum numerum quo nouem constant menses. cui si alio numerum addas XC, i. e. trium mensium quibus lora datur, alio VI superadicias sextarios (qui in totum Saturnalibus sunt dandi atque Compitalibus), summam colliges CCCLXVI.

3) uid. infra, p. LIV sq.; CVIII sqq.

scriptura alogo signanda *cum* delitescit nec arcanum elicies quo in c. 57 rationem uini dandi familiae claudit Cato.

Vereor, Ansgari carissime, ne perdiu in terra Gallia te retinuerim, tantoque magis id timeo quod in Sueciam, ubi tamen ad breue tempus me demoraturum spero, est transeundum. Vpsaliensis enim Sten Hedberg meae editionis censuram scripsit in ephemeride editam quae 'Gnomon' inscribitur[1]). uerum de tam docto uiro piget dicere quod finitiones illas praerancidas atque fetutinas grammaticas religiosissime spectare uidetur. nam, quemadmodum in XII Columellae (59, 1) traditam scripturam *addito* . . . *caseum recens* minime uero castigandam in sua editione castigauit atque, *caseum recentem* cum correxisset, Columella neutro genere ne uteretur interdixit (ea, opinor, ratione adductus qua constanter Gaditanus masculine uocabulum illud adhibet), ita – collatis Catonis opusculi cc. 134, 2; 139; 141, 2. 3 (ubi *domo* legitur) – Catonem negat datiuum *domu* usurpare potuisse, quem ego – et locis fretus in Thes. l. l. memoratis (quibus tamen titulum addas uelim CIL V 1220) et ad analogiam perfugiens nominum quae modo ad II modo ad IV ordinem declinantur – in c. 9, etsi haesitanter, statui. item, ista coaequandi, ut ita dicam, lubidine lacessitus, quas in summario ego, Florentini testimonio maxime nisus, retinui lectiones *sunt* (XVI) et *est* (XX) et *florenti* (CXL) aures offendere uidentur Hedbergi, eapropter, opinor, quod in rubricis (quae, lemmatis in summario respondentes, in opusculi contextu singula aperiunt capita) *sint* et *sit* et *florente* deprehendis. neque quid addam habeo temptamini quod, Hedbergo fortasse ignotum, abhinc XXVI annis ego sumpsi[2]) ad usum explicandum pronominis *quos* in locutione (c. 1, 4) *qui in his agris praedia uendiderint, quos pigeat uendidisse*; neque, iterum perpensa Hörlei

1) 36, 1964, 43 sqq.

2) In libro quem 'Introduzione al de agri cultura di Catone' intitulaui (Roma 1952, 100, adn. 158 = Messina 1962², 93, adn. 153).

argumentatione[1]), in dubium incertumque reuocauerim structuram specie quidem adulterinam *cetera lex uti uilla ex calce caementis*, ubi, pro necopinato nominatiuo *uilla*, datiuum *uillae*, opinor, Hedberg cum Schneidero ponendum fortasse existimat.

Paucissimis quae infra, in Indice V, ad Catonis syntaxin pertinentia attigi, admonitum Guilelmi Baehrens de panegyricis latinis disputantis mihi liceat addere utpote Catonis quoque editoribus accommodatissimum, „non secundum schema quoddam scholasticum operandum esse, sed psychologiae rationem habendam esse". nec poteris quin aurium consilio plus semel utaris. ut puta in c. 2, 1 tradita uerba *ubi cognouit* [scil. *pater familias*] *quomodo fundus cultus siet, opera quaeque facta infectaque sient*, si cum Hedbergo editoribus non discorde ita emendaueris ut non *opera quaeque facta infectaque sient* legas sed ut *operaqu*[*a*]*e qu*⟨*a*⟩*e facta infectaque sient* Catonem putes scripsisse, planiorem, ut ita dicam, atque demissiorem orationem reddes, at Catonis contextum et exinanies et insulsum facies. re uera duo, ni fallor, aditus patent ad traditam scripturam *quaeque* explicandam: aut *quaeque* pluralis habetur pronominis *quisque*, ut *opera quaeque facta infectaque sient* ex *cognouit* pendentia nil aliud ualeant nisi *opera singula quae facta infectaque sient*; aut in structura uerborum *opera quaeque facta infectaque sient* coniunctionem *que* aduerteris bis repetitam, semel pronomini *quae*, iterum participali *infecta* subiunctam. hunc si potiorem habueris explicatum, structuram illam sic enodare poteris: *ubi cognouit*: 1) *quomodo fundus cultus siet*; 2) *opera*, *quaeque* [i. e. *et quae*] *facta infectaque* [i. e. *et* (sub. *quae*) *infecta*] *sient*.

Est enimuero quod miraris, optime Ansgari, hasce atque alias scripturas, quas ad fidem Florentini codicis ego in mea editione recepi, tamquam ansas ad improbandum studioso dedisse in Suecia nato, in terra scilicet uirorum peritissimorum parente atque prudentissi-

---

1) J. Hörle, Catos Hausbücher, Paderborn 1929, 223.

morum (satis habeo Einarum Löfstedt memorare Iosephumque Svennung) qui, nouellum fabricantes adagium, non 'γλαῦκ' εἰς 'Αθήνας' mihi dicerent ista hedbergiana refutanti, sed 'in Sueciam mittis aringos'.

Igitur, quod ad textum attinet, euincunt quae supra disputaui parum re uera utilitatis ex censuris quidem memoratis ut caperem mihi contigisse ad priorem editionem expoliendam atque limandam. qua re satius existimaui me memet ipsum colligere, rursus Catonis opusculum lectitare, cerebrum emungere ut locis, quos cruce damnaueram, cruces pro captu mediocritatis meae reuellere temptarem, locos, quos desperatos castigaueram uel explicatu utcumque difficiliores modo defenderam modo sanaueram, integro animo ac libero iterum perscrutarer. sane mihi minutius ac scrupulosius uiam repetenti euenit, idque persaepe, ut δευτέρας φροντίδας — quas iure Euripides σοφωτέρας docet — ταῖς προτέραις concinentes inuenirem; haud raro ut deprauatae scripturae nouam proponerem emendationem; aliquando ut uacillantem me redderent atque animum meum in diuersum mutantem peruestigationes aliorum, qui in Catonis libello agricolari sunt uolutati. mei istius laboris, cuius gustum tibi dedi in superioribus paginis, tum in prolegomenis tum in apparatu critico signa exstant perspicua.

Plura fortasse quam epistulae breuitas patiebatur longo sermone protraxi. at facere non possum quin, antequam finiam, ego tibi significem, Ansgari amantissime, quidnam me impulerit ut primam paginam huius uoluminis tuo nomine exornatam uoluerim. neque enim similis est — iterum mihi liceat ad Plinium auonculum prouocare — condicio publicantium et nominatim tibi dicantium.

Nempe priorem editionem palam quando protuli, minime habueram ubi te ipsum nossem. tunc temporis si ista mihi esset data potestas, τριφαὴς fuisset nuncupatio: praestantissimis namque nominibus Antonini Pagliaro et Saluatoris Pugliatti tuum ego addidissem

splendidum. at ad rem publicam quom accessi, fors mihi fuit ut te personaliter cognoscerem. fixum animo hodieque seruo diem (Kalendae erant Augustae a. MCMLXXII) quo tu in publico legumlatorum consilio sententiam aperuisti tuam, pueros in ludo litterario instituendos ad linguae latinae studium esse officio tenendos. animaduerti te, qui tunc temporis summus eras studiorum moderator, cognitum habere atque opinari atque contendere iuuenum animum ad conformandum, iudicium ad acuendum, mentem ad excolendam plurimum posse sermonis latini studium. tunc tuus sermo meum relaxauit animum atque periculum propulsauit ne illa essent iteranda quae Luchino uicecomiti Franciscus Petrarca per epistulam conclamabat: „mutata sunt tempora, reges terrae bellum litteris indixerunt". cotidie tamen magis et magis hoc amariter aduerto, te conatus tuos ad litteraturae latinae studium refouendum frustra cepisse atque ad maiorum nostrorum linguam obliuioni tradendam nonnullos niti homines in re publica exercitatos. quibus Friderici Platner monitum in memoriam reuocare uelim: „fugite eos, qui dum uos a litteris humanioribus abducere conantur, uos excoecare, imo rei sacrae nocere uelle uidentur. nam hoc experientiae satis idoneo testimonio nouimus, puritatem sacrorum eo tempore restitutam esse quo litterae humaniores maxime florerent, eandemque eo tempore interiisse, quo his litteris inter barbaros homines nullum pretium statueretur. cauete itaque, ne uestra incuria aut negligentia res sacra communis conturbetur, quae sine dubio culpa tanto grauior futura esset, quanto maius dei beneficium, sacrorum ad pristinam simplicitatem restitutione, accepimus."

data a. d. X Kal. Mai. a. MCMLXXVIII Romae.

Quae abhinc multos annos in epistula ad Antoninum Pagliaro scripsi priorem editionem aperiente, hodieque cum sint pleraque non inepta, in hac altera litteris inclinatis iterare uolui. nec uerba, quibus tunc epistulae imposui clausulam, nunc irrita habeantur uelim; ipsa, quantulacumque sunt, duum hominum cultum refe-

runt, Antonini Pagliaro et Saluatoris Pugliatti, quorum semper nomen laudesque manebunt:

Scio me patrocinium debere contumacissimae trienni desidiae. neque ad hanc absoluendam mihi ab Martiale Valerio ista opportunissima uerba mutuanti eandem licet interserere causam quam ille prouincialis solitudinis molestia affectus Prisco Terentio attulit. nullas enim ciuitatis aures quaerere mihi erat necesse neque theatra desiderare uel conuictus, unde manare libellos suos profitetur ille: at animi tranquillitatem, ad quam, ut scis, frustra ego nitebar, tot tantisque negotiis distentus laborumque continuatione attenuatus. accedebat his in edendo haesitantia: quae uel minima uel nulla fuisset, leuius si essem aggressus opus. in tot enim incidi quaestiones easdemque aliquando expeditu difficillimas ut typothetae manibus plus semel traditurus manuscriptum ipse in scriniis cohiberem. postulat Catonis liber grammaticum agri colendi peritum studiis inbutum Romani iuris magiricae non expertem artis iatrosophisten antiquarum rerum scium. ego quod eius potui feci. quid exierit Tu uelim ac Saluator Pugliatti aperte aperiatis quibus non minus in iudicio litterarum quam in omni uitae colore tersissimis hunc laborem sacratum uolui.

Messanae, Kal. Dec. MCMLX.

ADDENDVM

[Venerunt in manus meas, cum plagulas iam correxeram easdemque typothetae tradideram, dissertatio Georgi Grahami Mason atque liber Guilelmi Richter: altera (Duke University 1976) 'Parisinus 6842 A and the manuscript tradition of Cato's *De agri cultura*' intitulata, alter (Heidelberg 1978) 'Gegenständliches Denken, archaisches Ordnen. Untersuchungen zur Anlage von Cato de agri cultura' inscriptus. de istis operibus, quae mihi hanc alteram Catonis libri editionem instruenti in promptu non fuerunt, alias tractabo.]

Romae, Sept. MCMLXXX A. M.

efficimus pro opibus
nostra moenia
Plaut., Stich. 695

PROLEGOMENA

I.

Catonis De agri cultura libri memoria quam ualde in scriptis haeserit antiquorum si quis eruere uelit[1]), a Varrone incipiendum statim animaduertit: primo enim in libro Rerum rusticarum nonnulla laudat Reatinus[2]) Catoniana, quae ad capita 1. 6. 7. 10. 11. 75. 76. 156. 162 pertinent[3]). neque tamen infitias eo alios qui scriptores Varrone priores Varronisue aequales de re rustica egerunt Catonianum opusculum prae se habuisse indeque multa traxisse praecepta atque instituta. ita Sasernae (uel Sasernarum) opus Catonis librum quin redoluerit minime dubitaueris, si exempli gratia animo consideres idemque compares quae uterque de frugibus prodidit segetem stercorantibus. item Stolo Licinius necnon Tremellius Scrofa quantum Catoni debuerint tum ex Varrone colligi potest tum Columella Pliniusque ostendunt[4]). hunc in locum Turranius incidit, non Gracilis

---

1) in enumerandis scriptoribus, quibus Catonis De agri cultura opus praesto fuisse apparet, non modo illos memoraui qui Catonem nominatim laudant ipsiusque repetunt praecepta, sed illos quoque leuiter in transitu attigi qui uel propter scribendi usum uel propter nonnullarum rerum explicationem quae Catoniano in libello locum habent suum, hinc pendere uidentur. hanc rem quae a nullo ante nos, quantum scio, tractata longiorem desiderat orationem, uel paucissimis hic absoluam.

2) uid. in uniuersum J. E. Skydsgaard, Varro the Scholar. Studies in the first Book of Varro's de re rustica (Anal. Rom. Inst. Dan. IV Suppl.), Hafniae 1968.

3) cf. Varr. 1, 2, 28; 1, 7, 1. 9; 1, 18, 1; 1, 19, 1. 3; 1, 22, 3–5; 1, 23, 7–1, 25; 1, 58; 1, 60. Varronem et alio in opere Catonis librum attulisse ex Gellio (3, 14, 17) patet (uid. infra. p. XXIX).

4) uid. in uniuersum Reitzenstein, De scriptorum r. r. libris deperditis, Berolini 1884, 3 sqq.

ille quo Plinius auctore usus est in naturali historia conscribenda, sed, ut puto, Niger, ad quem Varro secundum dicauit Rerum rusticarum librum[1]). hunc libros De agri cultura litteris mandauisse minimum duos ex Diomede elucet, qui, ad explicandam passiuam formam 'ueniri' a ueteribus adhibitam, una cum Plautino quodam uersu (inc. fr. XXXVII G.-Sch.) Turrani fragmentum profert quod sane Catonianum praeceptum aperte redolet[2]). aetate Caesariana et Augustea Catonis opus agricolare auctoritate et gratia apud scriptores uigebat. ne de Sallustio[3]) loquar qui antiqui Catonis uel uerba uel locutiones e libro quoque De agri cultura in sua transtulit opera (e. g. Sall. ep. ad Caes. 1, 8, 10 *beneque euenire sinant* ~ Cato 141, 2 '*beneque euenire siris*'[4])); ne de Pompeio Lenaeo dicam qui de herbis ad usum medicinae cum scripsit tum Catonianum sermonem tam bene

---

1) uid. quae disputaui in libro qui inscribitur Introduzione al de a. c. di Catone, Roma 1952, 79. cf. etiam Pighi, Appunti per un comm. al libro di Catone sull'agr., Como 1944, 21.

2) GLK I 368, 24: *est tamen apud ueteres 'ueneor' et 'uenditus sum', ut apud Plautum* [fr. s. l.]: '*ego illi uenear*'; *Turranius* [*tyrannus* codd.] *de agri cultura primo* [SRRRR I p. 62 Sper.] '*patrem familias uendacem magis quam emacem expedit esse. nam id melius emitur quam uen*[*d*]*itur*' ~ Cato 2, 7 *patrem familias uendacem non emacem esse oportet.* – subdifficilis existit quaestio quid Turrani uerba sonent *nam id melius emitur quam uenitur*, quae Lachmann *nam ita uilius e. q. u.* emendauit, *nihil melius e. q. u.* castigauit Gesner, *numquid melius e. q. u.* Gronouius correxit. re uera in coniunctione 'nam' si aduersatiuam inesse censueris uim (quam, e. g., apud Plinium, n. h. 13, 46, deprehendimus) atque in uerbis 'id melius' pronomen 'id' quasi ἄρθρον habueris et locutionem 'id melius' respondere putaueris italicae dictioni 'il meglio', nil aliud apud Turranium inuenies quod apud Catonem non sit. nam et uocalium et semiuocalium et mutorum instrumentorum enumerationi, quae morbo consumpta uel senecta sunt uenum danda, illam sententiose Cato imposuit clausulam 'patrem familias uendacem non emacem esse oportet'. hanc exinde mutauit Turranius, de suo obseruationem addens 'nam id melius emitur quam uenitur', illius quodammodo non dissimilem quae in Poenulo legitur: 'proba merx facile emptorem reperit' (u. 338).

3) de Cornelio Nepote infra, p. XXXIX.

4) alia apud Skard, Sallust u. seine Vorgänger (Symb. Osl., Suppl. 15, 1956), 80. 102.

calluit ut Sallustium Catonis uerborum tamquam ineruditissimum furem probrose iudicaret[1]); ne de Cloatio Vero agam qui in libro quarto Ordinatorum Graecorum plurima cum diligenter enumerauisset et malorum et ficorum pirorumque genera (GRF I 470sq. Fun.), Catonis opusculum, ut opinor, neglegere non potuit; L. Cincium persequar Ciceronemque Trebatiumque Testam[2]). ad rem rusticam quae pertinent uocabula nonnulla tractasse Cincium duobus ex fragmentis colligere possumus; ita exempli gratia quid esset naucum, quid noualis ager Cincium disseruisse constat[3]). sed hoc nostra praesertim refert, Cincium de porca praecidanea uerba fecisse ita quidem ut Catonis librum in promptu ille habuisse uideatur[4]). respicit qui iuuenis admodum Xenophontis Socratici *Οἰκονομικὸν* latine tribus conuerterat libris Cicero in dialogo De senectute quae Cato suo in

---

1) cf. etiam Quint. 8, 3, 29 (= FPL 174/16 Morel). quin Lenaeus Catonis De agri cultura librum in promptu habuerit nulla est dubitatio (uid. Plin. 15, 127 *duo eius* [sc. *lauri*] *genera tradidit Cato ... Pompeius Lenaeus adiecit quam 'mustacem' appellat*): cf. Della Corte, Catone Censore, Torino 1969², 223. — nec facere potuit Sura Mamilius (de quo Mommsen, Rh. Mus. 16, 1861, 282) quin de ocino cum dissereret (Plin. 18, 143) Catonis librum legeret; item Valgius Rufus qui medicinam herbarum 'post eum [sc. Catonem] unus inlustrium temptauit eruditione spectatus inperfecto uolumine ad diuum Augustum' (Plin. 25, 4); item alii quos Plinius in naturali historia auctores habuit idoneos.

2) nec sunt silentio praetereundi Messala (Coruinus?: uid. GRF 505 Fun.) Verriusque Flaccus: quorum prior, Quintiliano teste (1, 7, 23), Catonem Censorium 'dice' (?) non 'dicam' scripsisse (de re uid. Klotz, Rh. Mus. 80, 1931, 137 sqq.) eundemque in ceteris quae similiter cadunt modum tenuisse (cf. etiam Fest. 364, 9; 220, 7; Paul. Fest. 24, 20; 63, 18 L.) cum adfirmaret, opusculum quoque De agri cultura respicere potuit, in quo tamen (c. 1, 6) nos 'dicam' legimus (at uid. infra, p. XXXIX sq.). item Verrius in conscribendo libro De obscuris Catonis nonnulla potuit disputare singularia quae in opusculo inuenerat agricolari: ex quo permulta sumpsisse illum censeo quae uel in libris De uerborum significatu (ut e quibusdam lemmatis conici potest quae in Festi exstant breuiario) uel in libris De orthographia explicauit. — de Vitruuio uid. Thielscher, RE IX A 1, 430.

3) uid. Fest. 166, 12; 180, 13 L.; uid. etiam 344, 3 L.

4) Fest. 242, 11 L.; cf. Cato 134. — uid. etiam Gell. 4, 6, 8,

libello de utilitate praecepit stercorandi[1]). denique quid uox 'inferium' sibi uellet in formula 'mactus uino inferio esto', quam Cato ter profert in sacrificando sollemnem, explicauit Testa[2]).

Iam ad rei rusticae scriptores accedamus, qui primo p. Chr. saeculo uiguerunt[3]), Celsum dico Columellam Pliniumque. quid Celsus de Catonis praeceptis senserit, qua ratione sit isdem usus, frustra de Celso ipso quaesieris, cuius periit georgicum opus. si tamen huiusce rei notionem quandam animo concipere uelis, Columellae Plinique libros euoluas licet qui opus illud ab iniuria obliuionis asseruerunt. haud pauca enim deprompserunt illi Catoniana praecepta e Catone ipso, nonnulla quidem e Celsi libris, quem 'non tam ex hoc quod nos tractamus opusculum quam ex libro ad filium De agricultura composito simillimo pendere' censuit, auctore Münzer, Goetz[4]). hisce si alium adicere uelis de re rustica scriptorem Catoniani libelli studiosum, is erit III p. Chr. saeculo Gargilius Martialis: quae enim de cura boum praecepit Cato permulta fere ad uerbum iterauit Gargilius[5]),

1) Cic. de sen. 54: uid. Cato 36sq.; 50; 61. quae Cicero (de off. 1, 150sq.) de feneratione deque mercatura dixit agriculturae uoluptati ac dignitati oppositis, e prooemio, ni fallor, sumpsit quod Cato libello De agri cultura praetexuit; item quae in Rosciana (50; cf. etiam 48) leguntur Catonianum prooemium resipere uidentur; quae in V De re publica (3, 4 = p. 118, 3 Ziegler) Catonis libri c. 3, 1 reddunt fortasse.

2) apud Arnob. nat. 7, 31 [=GRF I 395/2 Mazz.]; cf. Cato 134, 1.3.

3) rei rusticae scriptores qui aetate Augustea floruerunt Catonis quoque uestigiis quin institerint nulla est dubitatio: quod ad Hyginum attinet cf. Reitzenstein, diss. l., 18sqq.; quod ad Vergilium (quem Catonis studiosum Nicodemus Frischlinus in georgicis per paraphrasin explicatis saeculo XVI diligentissime notauit) uid. quae docte disputauit Jermyn, Virgil's agricultural lore (Greece and Rome 18, 1949, 49sqq.) necnon Richteri ad georgica commentarium (München 1957), passim.

4) Münzer, Beitr. z. Quellenkr. d. Naturgesch. d. Plinius, Berlin 1897, 61; Goetz, praef. IX.

5) uid. ad cc. 70; 71. – uti alia, ita quae de cauliculi (i. e. brassicae) uirtutibus in excerptis ex oleribus et pomis leguntur (c. 30 = p. 166, 13–167, 14 Rose; cf. Cato cc. 156; 157) a Plinio (20, 80–83) mutuatus est Gargilius.

cuius opus codex, quem Florentiae in bibliotheca diui Marci olim exstitisse constat, integrum, ut uidetur, seruauerat[1]).

Nos tamen non argumentum sed temporis ordinem seruantes, speculari pergamus num quis post Plinium[2]) Catonis studuerit opusculo. censuit Aistermann, praeeunte Hosius, Gellium, qui de uerbo 'ambulare' cum dissereret ad nauigiorum cursum indicandum usurpato Catonis librum De re rustica laudauit[3]), Probo Valerio, grammatico illo ueterum perstudioso, usum esse auctore[4]): quod in dubium reuocauerim, quando quidem Gelli auctor Catonis uerba tradidit prisco colore, ut uidetur[5]), destituta. attamen Probum non diffiteor, utpote qui et in legendis Vergili georgicis operam consumpsisset, ad Catonis quoque opusculum animum intendisse suum. primo p. Chr. saeculo exeunte Plutarchus Chaeronensis nonnulla in uita Catonis conscribenda de opusculo quoque agricolari notauit[6]): quae utrum e Corneli Nepotis opere De uita et moribus M. Catonis petiuerit alioue ex fonte[7]) an ipse de Porci libello sumpserit haud facile dicas.

Fallere nequaquam poterant Catonis opera Frontonem quippe antiquarium: qui in epistula quadam ad M. Caesarem illud (si Caecili manus rectam praebuit in palimpsesto Bobiensi scripturam[8])) respicere uidetur quod

1) uid. infra, p. LIII.

2) nulla de Catone georgico exstat mentio in fragmentis librorum, quos de grammatica edidit Plinius; in quibus tamen haud ueri dissimile uidetur illum, inter auctores quos permultos attulit, Catonis quoque opusculum prae se habuisse.

3) Gell. 10, 26, 8 (= Cato 1, 3).

4) Aistermann, De M. Valerio Probo Berytio, Bonnae 1910, 54; Hosius, praef. ad Gelli edit. XLII.

5) cf. quae disputaui in libello qui Introd. al de a. c. di Catone (Roma 1952, 90 = Messina 1962², 83) inscribitur.

6) Plut. Cato 4, 5 (338 e). 25, 2 (351 e).

7) de Plutarchi fontibus uid. quae disputauit Kienast, Cato der Zensor, Heidelberg 1954, 10sqq.

8) p. 15, 22 van den Hout (= 20, 15 N.): *quod M. Cato de aegro ser*⟨*uo* suppl. Hauler⟩: ita Caecili, i. e. secunda manus; aliter prima quae *de Aelio* uel *aereo* uel *aere alieno* scripsit. utra recta sit scriptura quo minus discernamus lacuna duarum paginarum impedit quae epistulam mutilauit.

Cato de seruo morboso disputauit in c. 2,7 [1]). quid? nonne M. Caesar ipse, qui, magistri sui auctoritatem secutus, ueteribus nauauit, Catonis non modo Originum orationumque gnarum sese praestitit, sed libelli quoque De agri cultura lectione mirifice delectatus est [2])?

Statilio Maximo, qui saeculo II De singularibus et apud Ciceronem et, ut uidetur, apud Catonem quoque positis confecit opus, Iulius Romanus usus est auctore: quod manifesto Charisi caput monstrat de aduerbio [3]). neque abhorrere a ueritate uidetur uirorum doctorum inueterata opinio, Statilium suo in opere e libello quoque De agri cultura hausisse, cum aduerbi 'rarenter', quod ibidem (c. 103) legitur, mentionem ille fecisset [4]). hoc tamen si consideraueris, alia aduerbia apud Catonem posita Charisi auctorem protulisse, quae in libello De agri cultura quamuis insint tamquam ex orationibus uel ex Originibus deprompta ille laudauit [5]), haerere poteris utrum mentio quoque de aduerbio 'rarenter' ad nostrum spectet opusculum an potius ad alia Porci opera.

---

1) Frontonianis quae Catonis agricolaris redolentia Carolus Priebe (De M. Corn. Frontone imitationem prisci sermonis latini adfectante, part. II, Progr. d. Stadtgymn. zu Stettin, Stettin 1886, 11) memorauit, uerba addiderim *digitis primoribus* (p. 122, 14 van den Hout = 128, 18 N.): uid. Cato de a. c. cc. 21, 2; 40, 3.

2) p. 62, 15 van den Hout (= 69, 10 N.): *ab undecima noctis in tertiam diei partim legi ex agri cultura Catonis.* – domesticam reuoces uelim disciplinam qua M. Aurelius conformatus erat: cuius pater Antoninus Pius et 'diligens agricultor' fuit (SHA, Antonin. P. 2, 1) et 'in omni priuata in agris f⟨r⟩equentissime uixit' (ibid., 2, 10).

3) Char. GLK I 190, 8–224, 22 (= 246, 18–289, 17 B.). – non censuerim quod suasit Weise (Quaest. Caton. capita V, Gottingae 1886, 78sq.), Charisium (uel potius Charisi dixerim auctorem) de conlationis gradibus disserentem in libro I (c. 16) exempla 'piissimus strenuissimus'que protulisse (115, 27 K. [= 148, 1 B.]), quasi eorum esset memor quae Cato in prooemio scripsit (praef. 4: *ex agricolis ... milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus. . .consequitur*).

4) Char. 217, 14 K. (= 281, 5 B.): *'rarenter' Cato, ut idem Maximus notat, pro 'raro'*.

5) ita e. g. Char. 197, 20 K. [256, 29 B.] (*donicum*) = Cato ORF[4] 74/181 Malc. (at cf. de a. c. 146, 2; 149, 2; 161, 3); 208, 19 K. [270, 11 B.] (*necessario*) = Cato ORF[4] 43/100 Malc. (at uid. de a. c. 31,

Claudit scriptorum seriem qui II saeculo aliquid habent ponderis ad Catonis georgici memoriam fouendam Gellius. qui duos Catonis locos cum laudauisset[1]) non directe ab ipso hausit fonte sed alterum a Varrone petiuit, ab incerto auctore, quem Probum putauerunt uiri docti[2]), alterum.

Et quoniam de Gargilio Martiale (III p. Chr. saec.) supra diximus, ad scriptores pergamus qui quarto quintoque saeculo[3]) floruerunt. nil mirandum quod Catonis opusculi in uestigiis requirendis Arnobi rationem habui Symmachique[4]): quorum prior in usu scribendi Catonis georgici sermonem quin interdum resipiat nulla est dubitatio[5]); alter, qui 'maxime in prioribus epistulis multa ex prisco sermone sumpta exhibet'[6]), talibus denun-

---

2); 213, 7 K. [275, 24 B] (*porro*) = Cato ORF[4] 23/39–41 Malc. (at cf. de a. c. 156, 6); 216, 11 K. [279, 20 B.] (*quanti*) = Cato ORF[4] 43/102 Malc. (at uid. de a. c. 144, 3; 146, 1); 219, 19 K. [283, 28 B.] (*seorsum*) = Cato 85/8 Jord. (at cf. de a. c. 53; 95, 2; 105, 1; 114, 2; 115, 2; 117). item in capite de extremitatibus nominum (lib. I, c. 15), ad uoces *pulmentum*, *pulmentarium* (73, 7 K. [92, 16 B.]) et *lacte* (102, 9 K. [129, 17 B.]) inlustrandas Catonis tres omnino locos attulit Charisi auctor, nullum quidem ex agri cultura (cf. tamen c. 58 *pulmentarium familiae*, c. 86 *lacte addat*, c. 150, 1 *lacte feriis quod mulserit*).

1) Gell. 3, 14, 17 (= Cato c. 151); 10, 26, 8 (= Cato c. 1, 3).

2) uid. supra, p. XXVII.

3) Catonis praeceptum (c. 103), quod in Mulomedicina Chironis isdem fere uerbis iteratum deprehendis (§ 953: uid. infra, ad loc.) caue ne habeas ex ipso Porci opusculo recta uia petitum: item quod ad § 519 attinet (Cato, c. 102). – nihil ex breuiario proferri potest quod Plini Secundi iunioris fertur de medicina: nam quae in eo (3, 4, 7 = p. 67, 4–7 Önn.) leguntur de holeribus ad uetera ulcera sananda aptis e Plini naturali historia (20, 81) manifesto manant. – inter auctores quos Vergilius in georgicon libris adhibuit Catonem quoque memorat Seruius in commentario ad georg. 1, 43.

4) non me credas Catonis agricolaris ἴχνη quoquo pacto exquirere uelle, si in is quae de uillula sua Ausonius scripsit (uid. praesertim p. 17 P., u. 21 sqq.) libelli de agri cultura uestigia inesse ut arbitrer inclinat, cunctabundus tamen, animus.

5) cf. Tschiersch, De Arnobii studiis lat., Ienae 1905, 16 sqq.

6) Schulze, De Q. Aurelii Symmachi uocabulorum formationibus ad serm. uulg. pertinentibus, Halis Saxonum 1884.

tiat uerbis uillam suam Laurentem ut illum Catoniani praecepti memorem[1]) dicere audeam. quarto senescente saeculo quintoue ineunte C. Chirius Fortunatianus, de uerbis per deriuationem nouatis cum in III artis rhetoricae (RhLM 122, 13 H.) dissereret atque Catonem memoraret, qui ab 'autumno' uocabulum confinxerat 'autumnitatem', librum de agri cultura prae se habuisse potuit, in quo bis (c. 5, 8: *autumnitate*; c. 155, 1: *prima autumnitate*) uocabulum illud deprehenditur[2]).

Hinc altum succedit silentium[3]). quod — si adnotationem exceperis a monacho quodam saec. IX in marginibus adscriptam cod. Bern. 363[4]) — circa a. 1300 Petrus

---

1) Symm. ep. 7, 15 (= MGH VI^1 180, 20sqq. Mommsen): *nec uerearis ruris horridi denuntiationem: in oculis est uenantibus mare, celebri itinere uilla praestringitur* (cf. Cato 1, 3: [*prope praedium siet*] *aut mare ... aut uia bona celebrisque*).

2) quae Marcellus de remedio ad polypum sanandum scripsit, quamuis Catonis praeceptum aperte repetant eiusdemque contextui potius accedant quam Plini exinde excerpto, tamen e Porci libello recta uia negauerim deducta, persuasum cum habeam per alios riuos fortuito ad Empiricum eadem ipsa peruenisse. denique quae Macrobius e libello Catoniano attulit (sat. 7, 6, 13 [= Cato c. 7, 3]; 6, 4, 16 [= Cato c. 31, 2]) uel ad Varronem redeunt uel, quod censuit Weise (diss. l., 159), ad Plinium.

3) spectant fortasse nonnullae Placidi glossae ad Catonis librum: in his illam potissimum animaduertas uelim quae (CGL V 28, 31 = 78, 16) uocabulum explicat 'instragula', Catonis (cc. 10, 5; 11, 5) *ἅπαξ λεγόμενον*. — quae apud Isidorum (orig. 17. 1: hinc Hugo de S. Victore [PL 176, col. 766 Migne], qui autem Columellae lector fuit [PL, ibid., col. 1206 = Colum. 12, praef. 9]) exstat Catonis de re rustica scriptoris mentio e catalogo quodam descendit auctorum rerum rusticarum.

4) exstant hoc in codice miscello saec. IX exarato (de quo uid. Hagen, Catal. codd. Bern., Bernae 1875, 347sqq.; Thilo, praef. ad Serui comm. Aen., vol. I, Lipsiae-Berolini 1880, LXXVIIsqq.; Gottlieb, Wien. Stud. 9, 1887, 150sqq.) Serui quoque ad Vergilium commentarii adnotationibus referti, quarum una, ad georg. 2, 86 (Seru.: *'amara pausia baca' oliua a pauiendo dicta, id est tundendo; aliter enim ex se oleum non facit*), Catonis nomen in margine cum notet, c. 7, 4 (cf. etiam c. 6, 1) opusculi Catoniani aperte significat (Cato 7, 4: *oleas archites, posias: eae optime conduntur uel uirides in muria uel in lentisco contusae*).

Crescentius (1230–1310) septuagenarius rupit[1]), qui in libris Ruralium commodorum permulta meminit Catoniana praecepta[2]). an Franciscus Petrarca (1304 u. ad 1374), quem rerum rusticarum peritissimum extitisse constat, non modo Varronis opus agricolare, cuius duos laudauit locos[3]), sed Catonis quoque lectitauerit opusculum nescio. nam in adumbrandis Catonis laudibus, quippe qui 'primus colendi arui praecepta in formam artis' atque 'in litteras' redegisset[4]), potuit Franciscus e Plinio, cuius lector fuit adsiduus, permulta arripere, quamuis quae ipse de comparatione hominis atque agri ibidem scripsit 'apud ueteres non inepta' Catoniano contextui propiora uideantur quam Plinianis excerptis[5]). neque infitias ire ego audeam quin epitheton quo in II poematis uocabulum 'aratrum' Franciscus ornauit (Afr. 2, 156: *Campano ... aratro*) ex Catonis manare potuerit libello agricolari (135, 2: *aratra ... campanica*). saeculo XIV senescente quae statim in prima pagina leguntur Catoniani opusculi de uitae rusticae laudibus Colucius Salutati (1331–1406) in epistula ad Andreolum Iohannis de Rocha Contrata missa[6]) memorabat, ex ipso haud

---

1) Catoniana enim, quae Odo Magdunensis in poemate de uiribus herbarum memorat quaeque in Speculo Vincentius Bellouacensis, Plinio debentur. – de Petro uid. in uinuersum P. Weise, Petrus de Crescentiis. Ein Beitrag z. Gesch. d. lat. Lit. des Mittelalters, Hamburg 1906.

2) uid. A. Röding, Studies till Petrus de Crescentiis och hans antika källor, Göteborg 1927.

3) ep. sen. 2, 1 (= Varr. 2, 3, 7); fam. 9, 4 (= Varr. 2, 7, 9).

4) De rem. utr. fort. 1, 57.

5) De rem. utr. fort., l. l.: 'illi ipsi antiqui agricolae, uiri fortes, quibus gloriae fuit agricultura, colendum bene censuerunt, sed non optime ... estque apud ipsos ueteres hominis atque agri comparatio non inepta, ut uterque si sumptuosus fuerit, quamuis et quaestuosus, reliqui nihil aut modicum sit, neutrum magni igitur aestimandum' (cf. Cato 1, 6: *scito idem agrum quod hominem. quamuis quaestuosus siet, si sumptuosus erit, relinqui non multum*).

6) Salutati, ep. 10, 1 (= III 171sq. Novati): 'Cato scribit [praef. 2]: *maiores nostri*, ut eius uerba referam, *uirum bonum quem* [sic!] *laudabant, ita bonum laudabant agricolam bonumque colonum*; et subdit: *amplissime laudari existimabatur qui ita lauda-*

dubie hauriens fonte. isdem fere temporibus fuit Perusiae homo rerum rusticarum peritissimus, Corneum dico Corneolum ex familia ueteri ortum atque inlustri. hic Italico sermone opus suum agricolare (quod 'De la diuina uilla' inscripsit) cum confecisset[1]), Catonem quoque laudauit, cui adeo est obsecutus ut nonnulla praeciperet a XIV saeculi moribus sane abhorrentia.

Peruulgatum habuit saeculum XV – ut ex ipso numero codicum efficitur haud paruo illa aetate manu scriptorum – Catonis librum: cuius plurimos deprehendes lectores qui litterarum antiquarum studiosi uel clari uel obscuri tunc temporis extiterunt[2]). ita in epistula quadam a. 1412 uel 1413 conscripta Candidus nescio quis[3]), qui in scribendo formam est amplexus uetustatis, Nicolaum

---

batur'. – miror equidem qua ratione uir ille doctissimus Remigius Sabbadini negare potuerit (Le scoperte dei codici latini e greci ne' secoli XIV e XV, II², Firenze 1967, 182) Catonis librum de agri cultura a Dominico Bandino (a. c. 1335–1418) esse citatum. qui re uera in Fonte memorabilium uniuersi, non modo Catonem cum laudet optimum agricolam haec addit 'hoc ultimum probat ipse Cato dum librum rerum rusticarum edidit copiose', sed Catonis uerba cum afferat, quae a Colucio Salutati memorata uidimus, Catonis contextui propior uidetur quam Colucius ipse, cui Dominicus amicus fuit: 'Cato Censorinus [sic!]' – haec sunt Dominici uerba – 'in suo de agricultura dixit: *Maiores nostri quo modo laudabant uirum bonum ita laudabant bonum agricolam bonumque colonum.* Et subdit paulo post: *amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur.* Vides ergo secundum Catonem quam optimus fuerit agricola.' praeterea alia de libello Catonis hausta in Fonte Dominici inueni, ut puta haec: 'scripsit Cato in suo de agricultura [= c. 65] quod prius quam succus [i. e. oleum] eliciatur, bacae purgari debent e frondibus' eqs.

1) adseruatur Cornei opus (quod in obliuione iacet) in nonnullis codicibus mss., quorum unum Rauennae uidi in bibliotheca Classensi (n. 368), Romae unum in bibliotheca Vaticana (Vrb. Lat. 1390).

2) in epistula (7, 2), quam Antonio cuidam grammatico (Mediolanensi aut Cremonensi) Leonardus Bruni (1370–1444) misit, an per scripturam *posiuerunt*, inter alias antiquas memoratam loquelas, ad Catonis libelli uerba (praef. 1) *maiores nostri ... ita in legibus posiuerunt* se Arretinus reuocarit, nescio.

3) perperam Stangl (Woch. f. kl. Philol. 3, 1886, 1265) Petro Candido Decembrio epistulam tribuit.

Niccoli certiorem dum facit de permultis codicibus in bibliotheca Ioannis Coruini[1]) adseruatis, Catonis scrinia, ni fallor, aperte compilat. quod quo commodius exploratum habeas, epistulam ipsam exscribam licet integram[2]):

Candidus Nicolao Nicoli sal. Si uales bene est et ego ualeo. Enimuero, frater optime, ex te certum habeo quam maxime gaudeas ex hoc ut bene ualeam. Sed mehercle ita dii deaeque me adiuuent. quam hoc tecum munus lubentius paciscar. Scito Beltraminum de Riuola *φίλον ἡμῶν* amantissimum esse: is de te tantum mihi retulit, ut cogar quoquomodo ad te aliquid scribere. Nec mirum siet si tam caldos affectus iniecerit, ut gnotus fieri cupiam nec libris tuis quod absiet euenit [?]: scito enim me his ualentissime foltum, sed *διασώζοντες τὴν παλαιὰν παροιμίαν* cum paribus aptissime iungimur. Vidi inter cetera commonitorium tuum, quod pridie, ut opinor, ipsi dederas. Rari profecto sunt hi libri, frater optime, in hac urbe, in qua nullus uirtuti honos est: omnes aut ambitioni aut ceteris ignauiis operam duint; opto tamen ut habeas, si qui apud te ne sient; si sient, ne frustra quaerites Etsi dupli aut quadrupli emere uelis, nullus uenierit, nec uere possient, quod illis desiet: aduortas igitur animum uolo et quos maxime cupis mihi notum facito; sed maxima diligentia curatos habeto, ne apud te sint, ut dixi, ne me obtundas, nisi *κατὰ τὴν χρείαν μόνον*. *Βιβλιοθήκη* Ioannis Arretini multa et peregrina et antiqua habet, quae lubentius uideas: in ea si quid tibi placuerit, curatum habebo ut transcribam. Hi sunt ferme ex antiquis libris uetustissimi, quos carie semesos ad legendum facesso: Catonis Palladii Columellae et Varronis agriculturae; L. Annaei Senecae opuscula; comoedia antiqua quae cuius siet nescio: in ea lar familiaris multum loquax est: uolt ne parasitus antelucanum cubet, ut plostrum uetus, pelues et rastros quatridentes ruri quam festinissime transferat; is ne uolt parere quidem, eo quod gallus nondum gallulat; meo denique iudicio uetustissima; Suetonii Tranquilli liber cum graeco; Censorini ad Q. Caerellium de saeculo; C. Iulii opera belli Gallici: A. Gellii liber cum graeco; epistolarum Ciceronis ad Atticum liber ueterrimus. Praeterea multa peregrina opera, quae iugiter laudari existimantur et quorum tibi ne nomina quidem possem perscribere. Aduortito itaque ut dixerim, si quid ex his desiet quod carius siet et rescribito: lubentius lubentia tibi mittam. Notato etiam in syn-

1) fuit iste Coruinus, Antonio Raudensi iunctissimus Mefecque de Mazano, ex urbe Aretina ducalis secretarius et senator, qui, ut Cosmas quoque Raymundus dicit in epistula quadam ad Coruinum a. 1431 missa (uid. cod. Ambros. B 124 sup. f. 108u) 'opulentissimam' habuit 'bibliothecam et nullius doctrinae ignaram'.

2) cf. Sabbadini, Museo di ant. class. 2, 1886, 81sqq. [= Storia e critica di testi latini, Catania 1914, 421sqq.].

grapho libros et mihi mittito. Scripsi Leonardo Arretino litteram *τὴν ἀγρίαν*, ut me amet, sed nihil respondit; ne curat quidem, ut arbitror. Enimuero postquam nubuit nec opus duit nec amicis, ut solitus, scriptitat, ut auguror.

Lucet ex ista epistula Candidum uerba uelut rubigine infecta usurpasse ut *duint* (u. 13; *duit*, u. 37) uel insperata atque inopinata ut *nubuit* (u. 37); itidem *ἀρχαισμὸν* scribendi illum adfectasse uerba monstrant *siet* (uu. 7. 24. 33; *sient* uu. 14 [bis]; *absiet*, u. 8; *possient*, u. 15; *desiet*, uu. 16. 33) et *uolt* (u. 25) et *aduortas* (u. 16; *aduortito*, u. 33) et *foltum* (u. 9). at uero Candidum dixeris non ex alia causa nonnulla interposuisse quam ut Catonianus populus iterum in epistula uerba quaedam inueniret quae Porcius in libello De agri cultura adhibuerat. ne de forma *caldos* (u. 7) dicam, quam cum Cato decies profert tum apud Lucilium (u. 268) inuenies, locutionem *maxima diligentia curatos habeto* (u. 17; cf. etiam u. 20) consideres uelim, quam Candidus a Catone haud dubie sumpsit mutuam[1]).

Sub idem fere tempus illo in opere, quod anno 1433 absolutum De illustribus scriptoribus linguae latinae inscribitur, Sicco Polenton (1375/6–1447), permulta de M. Porcio cum disputaret, libellum quoque De agri cultura talibus memorauit uerbis, ut prae se opusculum ipsum quin ille habuisset haudquaquam dubitaueris[2]). plura quam Sicco tetigit Catoniana Blondus Foroliuiensis (1392–1463), qui inter annos 1457 et 1459 opus De Roma triumphante cum conscriberet rem rusticam quoque tractauit et e Catone permulta hauriens et ex Varrone[3]). post annum tertium quam Georgius Merula Catonis librum typis Venetiis ediderat, Bartholomaeus Sacchi,

---

1) Cato 5, 6 *boues maxima diligentia curatos habeto.*

2) ait enim Sicco (p. 254, 29 Ullman): 'rustica item de re librum fecit [sc. Cato]. in quo agricolam uiris adaequat bonis, quod mala neque cogitatione neque inuidia agitetur sed quaestus afferat uberes, unde uiri fortes ac strenui nutriuntur'; cf. Cato praef. 2sqq.

3) Fl. Blond., De Roma triumph., Basileae 1559, 168 h (= Cato praef. 2sqq.), 172 c (= Cato 141, 2), 172 g (= Cato 10, 1. 4; 83); 172 h (= Cato 57. 59. 56. 142. 143), 180 e (= Cato 4), al.

cognomento Platina (1421–1481), De obsoniis scripsit, Catonem, ut ipse dicit, imitatus[1]). non multo post Michelangelus de Tanaglis (1437–1512) in libro primo conscribendo operis De agri cultura, quod Italico sermone hendecasyllabis confectum circa a. 1485 absoluit, tres Catoniani libelli locos protulit, quorum unum a Columella petiuit, reliquos ab ipso, ut uidetur, hausit fonte[2]).

Longum est omnes huiusce aetatis enumerare uiros qui docti in commentariis suis locum habuerunt Catonis librum laudandi: ne in minores accedamus, satis sit, praeter Domitium Calderinum Veronensem (1440 – 1478), Antonium Coccium Sabellicum (c. a. 1436 – 1506) memorare necnon Christophorum Landinum (1424–1492) et Antonium Mancinellum (1452 [1454?] – c. a. 1506) et Philippum Beroaldum (1453–1505)[3]). item Angelus ille Politianus (1454–1494), per quem in restituenda Florentini codicis scriptura minus iacturae pati nobis datum est (si iactura dicenda est tanti codicis amissio), non modo in Miscellaneis sed etiam in commentariis nonnulla e Catonis libro arripuit[4]). nec esse obliuioni dandum puto Nestorem

---

1) Plinio tamen, ni fallor, Catoniana debentur quae apud Platinam leguntur.

2) Tanaglia, De agr. 1, 271 (p. 15 Roncaglia) = Cato 1 (Colum. 1, 4, 1); 1, 1014 (p. 37 R.) = Cato 59; 1, 1435 (p. 50 R.) = Cato 93.

3) hisce addito, e. g., Bohuslaum Hassensteinium (1460-1510), qui in epistula quadam (a. 1487) ex Catonis libro cum praefationis locum (§4) aperte citat tum nonnulla passim carpsisse uidetur.

4) hac in re memoratu sunt dignae adnotationes quas in Vergili ed. Romana (a. 1471, ex typis Conradi Sweynheym et Arnoldi Pannartz) inueni ad georgicon libros in marginibus a Politiano appictas (Bibl. Nat. Par., Rés. g. Yc. 236): utputa c. 3, 3 ('sustuleris') ad 1, 76 (f. 31^{u}, ubi tamen 'et Varro' pro 'et Cato' neglegenter scripsit); cc. 37, 1. 35, 2. 38, 4 ad 1, 77 sqq. (f. 31^{u}); cc. 91. 128 sq. ad 1, 178 sqq. (f. 33^{r}); c. 17, 1 ad 1, 256 (f. 34^{r}); c. 11, 5 ('corb. amer.') ad 1, 265 (f. 34^{r}); c. 155, 1 ad 1, 269 (f. 34^{r}); c. 37, 3 ad 1, 289 (f. 34^{u}); c. 6, 4 ad 2, 184 (f. 40^{r}); cc. 11, 2. 12 ad 2, 242 (f. 40^{u}); c. 6, 4 ad 2, 298 (f. 41^{u}); c. 28, 1 ad 2, 315 sq. (f. 41^{u}); c. 46, 1–2 ad 2, 349 sq. (f. 42^{u}); c. 5, 8 ad 2, 354 (f. 42^{r}); c. 43, 2 ad 2, 355 sqq. (f. 42^{u}); c. 33, 2 ad 2, 363 (f. 42^{r}); c. 33, 4 ad 2, 366 (f. 42^{r}); c. 5, 7 ad 2, 405 sq. (f. 42^{u}); ad 2, 454 sqq. haec adnotauit Politianus (f. 43^{u}): 'hoc contra Catonem qui ait [c. 1, 7] uinea ... silua'; praef.

Dionysium Nouariensem ordinis Minorum, qui saeculo XV senescente in lexico conficiendo Ludouico Sforza (1452–1508) dicato Catonis librum agricolarem in manibus habuisse uidetur[1]).

Sed iam tempus equum fumantia soluere colla. hoc enim mihi propositum fuit, Catonianae lectionis uestigia apud scriptores significare qui usque ad saec. XV uixerunt[2]). attamen grammaticum e clarissimis silentio praeterire nequeo, qui saeculo XVI ineunte floruit: Thomam dico Linacrium (c. a. 1460 – 1524), natione Britannum, Politiani Demetrique Chalcondyli discipulum, qui in libris De emendata structura latini sermonis (a. 1524) non-

---

4 ad 2, 467 (f. 43u); cc. 3, 5. 22, 4 ad 2, 519 (f. 44r); c. 5, 7 ad 3, 441 (f. 50u, ubi paulo inferius nonnulla excerpsit ex c. 96); cc. 79. 80 ad 3, 450 (f. 50u); c. 113, 1 ad 4, 241 (f. 55u). ex quibus hoc clarissime patet, Catonianum textum ex Merulae editione laudauisse Politianum, utpote qui Florentinum manuscriptum tunc temporis minime in manibus habuisset. – item quae ad u. 10 Ouidianae Sapphus epistulae – cuius commentarium 'extremis annuae enarrationis mensibus 1481' Politianus fecit – e Catonis libro (cc. 1, 7; 3, 1) adnotata inuenies (p. 22, 24sq. Lazzeri), Angelum monstrant Meruliana editione usum esse nondum de Marciano codice emendata. nec ulla est dubitatio quin Catoniana, quae in commentario ad Stati siluas modo manu sua Politianus adnotauit (ut f. 27u [= p. 111 Cesarini Martinelli] = c. 134, 1sq.) modo manu aliorum (ut f. 71u [= p. 351 Ces. Mart.] = c. 121; f. 126u [= p. 652 Ces. Mart.] = c. 134, 1sq.) Merulae scripturam reddant. nam in c. 121 *anisum cyminum* (non *anesum cuminum* cum **F**p, i. e. Marciani codicis scriptura [uid. infra, p. LX, adn. 2]) inuenies; et in c. 134, in duabus memorato adnotationibus, non *porcum feminam* cum **F**p deprehendes, sed *porcam feminam*, quae est in Merulae editione scriptura.

1) uid. e. g., s. u. 'cento': 'Cato autem in re rustica dum nouos fieri centones praecipit [uid. c. 2, 3], et alibi [uid. c. 135, 1] emendos centones et sculponeas dicit, significare rusticum uestimentum uidetur'.

2) desideratur in prima Erasmi Roterodami adagiorum editione (Lutetiae, 1500), cuius exemplar in bibliotheca Nationali exstat Parisina (Rés. p. Z 447), prouerbium illud *frons occipitio prior* (de a. c. 4, 6), quod e. g. in editione legitur a. 1513 Basileae excusa (f. 23r, ubi 'apud Catonem libro de re rust. primo' perperam scripsit Erasmus). – uiros doctos, quos in exquirendis Catonis opusculi codicibus uersatos esse scimus, infra memoratos inuenies, p. Lsq.

nullos Catonis opusculi locos et attulit et explicauit. ita, e. g., quae prooemium aperiunt uerba *est interdum praestare* quid significent quaue sint ratione explananda Gronouius[1]) opinione omnium[2]), re uera Thomas disputauit primus[3]).

II.

Hoc ad fidem propius duco, iniquum si fuisset tempus Varronis Rerum rusticarum libris, ne Catonis quidem commentariolum ad nos peruenturum fuisse. uerisimile enim est et Catonis et Varronis opera ista iam ab antiquissima aetate uno esse eodemque uolumine tradita[4]), quibus postero tempore, in unum tamquam conglobati corpus rei rusticae scriptorum, tum e. g. Columellae Gargilique Martialis libri sint adiuncti tum Columellae Palladique. quo ipso, ni fallor, fieri potuit ut duplicem Catonis opusculum inscriptionem ferret: deprehendimus enim non tantummodo scriptores in Catonis libro laudando tum 'De agri cultura' inscriptionem adhibuisse tum 'De re rustica'[5]),

1) I. Fr. Gronovius, Observationum libri quatuor, cur. Fr. Platnero, Lipsiae 1755, 604.

2) ita, e. g., Gesner ad loc.; Keil, Comm. in Caton. de a. c. librum, Lipsiae 1894, 5.

3) legitur enim apud Linacrium (o. l., Lugduni 1555, 4, 183 sq.): 'periphrasis est in illo Catonis *Est interdum praestare populo, mercatoris* [sic!] *rem quaerere, ni tam periculosum siet* pro *Praestat interdum*'. tu autem uelim adnotatum ad Suet. Claud. 18 memores Philippi Beroaldi, qui ita Catonis uerba laudauit *Praestat mercaturis* eqs.

4) uid. etiam Weise, Quaestionum Caton. capita V, Gottingae 1886, 106 sq.: 'Verisimile igitur est paullo post Christum natum ex scriptoribus rei rusticae . . . gravissimos Catonem et Varronem electos et in usum agricolarum in unum corpus redactos esse . . . Huic corpori postea Columella additus est, etiam posterius Gargilius. Hoc corpus scriptorum rei rusticae ad nostrum tempus propagatum est, praeterquam quod Gargilii Martialis libri deperditi sunt.'

5) 'De agri cultura': Varr. r. r. 1, 28 (uid. infra, p. XXXVIII), Fronto p. 62, 15 van den Hout (uid. supra, p. XXVIII, adn. 2), Gell. 3, 14, 17 (ex Varrone, ut uidetur); 'De re rustica': Cic. Cato mai. 15, 54 (ubi tamen Catonem Cicero haec loquentem facit: 'dixi in eo libro quem de rebus rusticis scripsi'), Gell. 10, 26, 8.

sed etiam Marciani codicis librarium ἐν τῶι 'incipit' inscriptionem 'De re rustica', ut uidetur, posuisse, ἐν τῶι 'explicit' librum tamquam 'De agri cultura' designasse[1]). hanc Florentino in codice (qui deperditus optimus iure habetur) discrepantiam ea fortasse explicaueris ratione ut inscriptionem 'De re rustica' quasi consertam putes contextamque cum totius corporis indice (in quo et Cato et alii rei rusticae exstabant scriptores), illam autem 'De agri cultura' genuinam habeas uel saltem, quippe quae apud Varronem exstet, perantiquam[2]).

Inferas Varronis ex uerbis (r. r. 1, 28 'in magni illius Catonis libro, qui de agri cultura est editus') libellum a Catone non esse editum opusculumque ipsum dixeris Porci

---

1) duas uno exemplo inscriptiones ('Marci Catonis Prisci De re rustica liber'), quae in editione Veneta (a. 1472) exstant — alteram (f. 18r) ante capitum summarium, alteram (f. 20r) ante praefationem — immutatas reliquit Politianus e Florentino uetusto manuscripto qui in bibliotheca Marciana olim adseruatus hodie desideratur (plura infra, p. LII sqq.). librorum qui ad nos peruenerunt alii (in illis tantum sto quos in adnotatione critica laudaui) duplicem ferunt inscriptionem (capitum scilicet summario praefixam necnon libri praefationi), ut **f** (ubi altera manus haec scripsit: 'Incipiunt capitula De Re rustica. M.Catonis' et 'Incipit prohemium. M. Catonis De re rustica'), **n** ('Incipit materia Marci porci Catonis De re rustica' et 'Incipit Marcij [sic!] Catonis De re Rustica'); alii unam tantummodo uel ante summarium ut **c** ('Incipit Liber M. Catonis. De re. rustica'), **d** ('Marci Catonis De Agricultura L. incipit') uel ante praefationem ut **a**, in quo tamen summarium desideratur ('M. Catonis De Agricultura'). in codice **m** haec ante praefationem leguntur: 'De Re Rustica prologus incipit feliciter', item ante c. 1: 'Libri marci cathonis [sic!] De Re Rustica cap. primum'. inscriptione caret cod. **A**, exstantium antiquissimus librorum, in quo haec inuenies ante capitum summarium uerba: 'In hoc codice infra scripto. libri continentur. de re Rustica. M. Catonis. liber unus terentij Varronis. libri. III.' (uid. etiam infra. p. XCII). titulum autem 'de agri cultura' in subscriptione codices habent **Amadn**, 'de re rustica' codex **f** (deest in **c**, ubi 'finis' tantummodo librarius scripsit).

2) ex uerbis *quod promisi institutum* eqs., quae Catonis opusculi praefationem claudunt, talem Paulus Thielscher in sua editione (uid. infra, p. CXXV) effecit titulum, qui esset *de agri cultura* ⟨*institutum*⟩.

post mortem in lucem prodiisse[1]). si in illa ad M. Aurelium epistula, qua Fronto (p. 20 N. = 15, 13 van den Hout) pretiosiores laudat libros ad criticam rationem emendatos, ordo et scriptorum et editorum talis sit habendus ut horum ad illorum nomina restrictim congruant, C. Octauium Lampadionem, qui aetate fere Gracchana floruit, censeas Catonis opera edenda curauisse. quod ni ita est, et de Staberio cogitari potest uel de Stilone uel de Attico quoque, antiquitatis illo amatore, cuius rogatu memineris uelim uolumen De uita et moribus M. Catonis conscripsisse Nepotem[2]), uel de Cornelio ipso Nepote, quem inter Plini auctores offendimus de arborum natura disserentes[3]). attamen quisquis ille fuit qui Catonis opera (in quibus nempe librum quoque habeto De agri cultura) ad criticam rationem emendauit, hoc mihi persuasum habeo, talem II p. Chr. saeculo Censori opusculi editionem etiamtum extitisse, ut explere atque satiare (sit uenia uerbo) Frontonem posset, quem et Catonis libellum perlegentem nouimus et casce nimis et prisce loquentem. sed et hoc mihi persuasissimum habeo, longis temporibus ante accidisse aliquid tale Catoniano commentariolo quale — si parua licet componere magnis — Atili Calatini elogio apud Ciceronem (de

1) uid. etiam Hauler, Zu Catos Schrift über das Landwesen, Progr. Wien 1896, 12.

2) Corn. Nep. Cato 3, 5. — hac in re illud quoque uidendum est quod Cicero Catonem maiorem Attico inscripsit.

3) Plin. n. h. 1 (ind. 12. 13. 16. 17). — haereo an sit cur putemus Nepotem in adumbrandis Pomponi Attici uirtutibus, quippe qui bonus extiterit pater familias, Catonis praecepta de patris familiae officiis in promptu habuisse (Corn. Nep. Att. 13, 1 *bonus pater familias habitus est ... nam ... nemo illo minus fuit emax, minus aedificator* ~ Cato c. 2, 7 *patrem familias uendacem non emacem esse oportet*, ac subinde [c. 3, 1] *patrem familiae ... aedificare diu cogitare oportet*). neque improbabile duxerim uocabulum 'fistulam', quod in eadem uita (21, 3) idem ualet atque 'ulcus' 'uulnus' Cornelium ab Catone (a. c. 157, 14) sumere potuisse. denique animaduertas uelim Cornelium priscis indulsisse uerbis, ut puta *face* (Paus. 2, 4), *donicum* (Ham. 1, 4), *parserat* (Thras. 1, 5), *intuuntur* (Chabr. 3, 3: uid. tamen Lupus, Der Sprachgebrauch des Corn. Nepos, Berlin 1876, 132), *dispalati* (Lys. 1, 2).

sen. 17, 61) uel apud Plinium (n. h. 35, 115) M. Plauti carmini Ardeatis templi pictoris.

Est tamen quod satis habeamus Catonis opusculum tale ad nos peruenisse, quale Florentinus (de quo plura suo reddentur loco) tradidit deperditus liber manu scriptus; eoque magis quo firmius et tempora considerauerimus quibus fuit illud opus a Catone conscriptum et materiem animaduerterimus ad emendationes omnigenas quam maxime insignem. neque est infitiandum Catonis tum sermonem antiquiorem aliquando in Florentino obseruatum tum uerba horridiora interdum ibidem immutata. dolendum quidem quod grammatici nomen ignoramus qui — ut ex adnotatione collegeris quam e Florentino Politianus Victoriusque rettulerunt — usque ad c. 84 e duobus emendauerat indeque de uno exemplario tantum[1]).

Nonnullos si exceperis locos, qui uel argumenti ipsius difficultate uel desperanter utpote corrupti cryphia egent alogoue, pauciora tradita uidentur uitia quam praestantissimi putauerunt Catonis editores, Keilium dico Goetziumque. qui, extra modum interdum prodeuntes, crebris locis librum inculcauerunt atque correxerunt, modo superuacanea addendo nunc incaute delendo modo pro tradita coniectariam supponendo scripturam. quod si uelis certior fieri cur, ista quamuis ego in priore editione monuissem, in editionibus tamen meam subsequentibus[2]) uestigia extent Keili Goetzique mutantium uel emendantium, causam ex editoribus ipsis perconteris plus semel oportet: nam aut silet apparatus criticus

---

1) in c. 84, prope uersum qui in editione Meruliana (uid. infra, p. LIV) uerbis desinit *Catinū texto* [sic!], haec in margine sinistro adnotauit Politianus: 'In marginibus vetustissimi codicis, cum quo hunc nostrum conferebamus, haec erant ascripta verba hic eiusdem librarij manu qui et ipsum descripserat codicem: *Huc us q. de duobus / emendauj / hinc de uno / exemplario / tantum*', adnotationem ipsam eodem modo, ni fallor, κωλοτομῶν quo Florentini librarius, marginis spatio utpote adstrictus. uid. etiam quae Victorius testificatur in Explicationibus suarum in Catonem castigationum (ad c. 84): '*Catinum testo operito.* Contra hunc locum in margine uetustißimi, fidelißimiq; exemplaris haec uerba eadem manu scripta sunt: Huc usque de duobus emendaui, hinc de uno exemplario tantum. Quae ipsa adscripsi, indicant enim diligentiam librarij, et illi etiam libro auctoritatem aliquam adferunt'.

2) at editionem Thielscherianam (a. 1963) excipito, cui summam manum uir ille rei agrariae peritissimus ne imponeret orcus impediit.

aut commentarius contextui subiectus. neque infitias eo aliquas quas feci considerationes apud Goujardum successus habuisse: qui tamen rem silentio praeteriisse (uid. etiam supra, p. VII sqq.) maluit. sed ad Keilium Goetziumque reuertamur.

Re uera quid sit non uideo cur in c. 1, 7, in quo omnium agrorum facit Cato discrimina, uerba *uinea est prima uel si uino multo est* sint, duce Varrone (qui tamen in referendis et Catonis et aliorum scriptorum locis laxiorem haud raro sese praestat[1])), legenda *uinea est prima ⟨si uino bono⟩ uel si uino multo est* (Keil) uel *uinea est prima [uel] si uino ⟨bono et⟩ multo est* (Goetz), cum par esse uideatur particulam *uel* non disiunctiuam esse coniunctionem, sed idem hic[2]) ualere ac 'maxime', 'praesertim'[3]). Neque sane est quod in c. 3, 1, in quo de uillae area fit sermo, praeceptum *ita aedifices ne uilla fundum quaerat* mancum habeatur uerbisque *neue fundus uillam* amplificandum[4]). inclinat animus ut sententiae accedam Petri Victori, qui — Columella Plinioque[5]) nisus, *ne uilla fundum quaerat neue fundus uillam* in sua editione quamuis scripsisset inque Explicationibus adnotasset: 'in priscis exemplaribus posterius membrum [scil. *neue fundus uillam*] non est, quod culpa librarij commissum credo' — haec tamen addidit: 'nisi quis putet, Catonem breuitate gaudentem, altero membro contentum esse: reliquos autem auctores [i. e. Columellam Pliniumque] illud magis explicasse'. nam, ut unum exemplum afferam, idem casus ad Catonis sententiam *ne uilla fundum quaerat* recidere potuit qui ad 'oraculum' illud a Plinio (n. h. 18, 170 = SRRRR I 7/4 Sper.) memoratum arandi rationi utilissimum *quid quae⟨que⟩ regio patiatur*. istud oraculum (quod e Catonis praeceptis manasse dixerim) Vergilius redintegrauit, ita tamen ut ipsum amplificatum sic redderet (ge-

---

1) ita, e. g., in rerum rusticarum II Plauti uersum Men. 290 (*quibus hic pretieis porci ueneunt sacres sinceri?*) duobus memorat locis: quorum in priore (2, 1, 20) Menaechmi (Sosiclis) quaesitum huiusmodi sonat uerbis *quanti sunt porci sacres?*, in altero (2, 4, 16) *quanti hic sunt porci sacres?*

2) necnon fortasse in c. 160, ubi legitur: *et tamen cotidie cantato . . . uel hoc modo* eqs.

3) potest tamen — ut Iosepho Hörle (Catos Hausbücher, Paderborn 1929, 139, 1) placet — eandem uim particula *uel* hic habere quae in germanica inest locutione 'vorausgesetzt, daß'.

4) uid. etiam Hörle, o. l., 139, 1; Pighi, Appunti per un comm. al libro di Catone sull'agri cultura, Como 1944, 29.

5) Colum. 1, 4, 8: *areae pedem tantum complectatur* [scil. *agricola*], *quod ait Cato, quantum ne uilla fundum quaerat neue fundus uillam.* Plin. 18, 32: *modus hic probatur, ut neque fundus uillam quaerat neque uilla fundum.* coniectura probabile est, Plinium non de Catone haec hausisse, sed indirecto ex Columella, quem autem Plinius ipse inter auctores memorat in indice libri XVIII.

org. 1, 53) *quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset*[1]). Item nihil est causae cur in c. 2, 5, in quo de patris familiae officiis agitur, scribendum sit *ubi ⟨ea⟩ cognita aequo animo sint*, cum uerisimile putauerim uerba *cognita...sint* minime cum illis iuncta quae praecedunt ad 'opera quae reliqua sint' pertinere (*ubi cognita aequo animo sint quae reliqua opera sint, curare uti faciat*). Item quid sit non uideo cur in c. 7, 3, in quo enumerat Cato malorum genera complura in fundo suburbano serenda aut inserenda, uerbum pluratiuo numero recte traditum (*eo lotium suillum aut stercus ad radicem addere oportet, uti pabulum malorum fiant*) singulariter (*fiat*) legendum sit, cum id Cato aperte dicere uelit et lotium suillum et stercus nihil aliud esse nisi pabulum malorum. Neque in meam intellegentiam cadit qua ratione initio capitis 81 (*erneum placentum tamquam placentam*) sit *placentum* (quod adiectiuum puto: cf. gr. πλακοῦς ἄρτος) in *sic facito* mutandum. Ne de scriptura *aspargi* loquar (c. 6, 3), quae emendatione (*aspar⟨a⟩gi*) minime egere uidetur; ne de correctione agam qua indicatiuus modus *oportet* (c. 6, 4) in subiunctiuum nescio qua causa sit mutandus; ne in falsa insistam emendatione *u⟨er⟩ba uti fia⟨n⟩t* (c. 14, 3) pro uera ac genuina scriptura *uba* (cf. Prob. GLK IV 274, § 5, 4 Mommsen) [i. e. *u(iri) b(oni) a(rbitratu)*] *uti fiat* (cf. D. 50, 16, 88 ex Ulpiano: *uerba 'arbitratu Lucii Titii fieri' ius significant*); considerationem in c. 134, 1 intendam, in quo, longe secus ac recta grammatices ratio exigit, incusatiuus inuenitur pro nominatiuo. legimus enim: *Cereri porca praecidanea porco femina prius quam h a s c e fruges c o n d a n t u r, far, triticum, hordeum, f a b a m, semen rapicium.* acquieuit Goetz in Keili sententia, qui, emendationibus Popmae ac Pontederae spretis, *condas* pro *condantur* scripsit; alia alii[2]). ego uero structuram hanc anomalam ac maculantem, cuius nullum aliud repperi apud Catonem exemplum (nam quae Cato Voconiam legem suadens scripsit *agrum quem uir habet tollitur* [ORF⁴ 60/159 Malc.] necnon in I Originum *agrum quem Volsci habuerunt campestris plerus Aboriginum fuit* [HRR I² 57/7 P.] aliter, ut in promptu, sunt explicanda), genuinam censeo atque seruandam. ea mente enim Cato incusatiuum (*hasce fruges ... fabam*) adhibet ut actionem reddat eorum qui fruges condant; simul tamen passiua ipse utitur for-

---

1) inde Colum. 1, 4, 4: 'uerissimo uati [scil. Vergilio] u e l u t o r a c u l o crediderimus dicenti' [secuntur uu. georg. 1, 51–53]; cf. etiam 1, praef. 22: 'exploratum habeat [scil. qui se in disciplina ruris perfectum uolet profiteri], quid cuique plagae conueniat, quid repugnet': 5, 5, 7.

2) praecipue est digna memoratu Hucberti Petersmann sententia (Wien. Stud. N. F. 7, 1973, 75 sqq.) qui, uti *has* in Prostibulo Pomponi (SRP II² 247/151 R.: *ego quaero quod edim, has quaerunt quod cacent*), sic apud Catonem quoque *hasce* pro nominatiuo habendum esse putat. facit tamen insequens *fabam* ut in Catonis loco *hasce* incusatiuus haut dubie habeatur.

ma cum fruges uel conditas uel condendas concipiat. Neque in nouissimis uerbis *componito et instipa*, quibus c. 113 concluditur, *instipa⟨to⟩* pro *instipa* legerim, ambo quasi necessario imperatiui futura ut habeamus; quantum enim Cato in iussis uarium sese praestiterit, quippe qui tunc futuro tantummodo usus sit imperatiuo tunc instantem iuxta futurum posuerit, ex hisce exemplis animo comprehendas uelim[1]): c. 5 (§ 6 *caue* . . . § 7 *caueto*), c. 5, 8 (*stercus sedulo conserua* [at c. 36 *stercus omne sedulo conseruato*] . . . *purgato*), c. 31, 1 (*fac* . . . *facito*), c. 162 (§ 2 *ponito* . . . *obruito caueto* . . . *obruito* . . . *obrue* . . . *facito*). Et quoniam imperatiui futuri usum attigi, ad castigationem intendas quaeso quam in c. 66, 1 proposui, in quo cellae oleariae custodis et capulatoris officia recenset Cato. nec obloquendi lubidine lacessitus ego malui editoribus non adstipulari qui in tradita scriptura *seruet* [scil. *custos*] *diligenter cellam et torcularium; cabet quam minimum in torcularium et in cellam introeatur*, deprauatam lectionem *cabet* (i. e. *cauet*) in *caue⟨a⟩t* corrigunt, alterum igitur subiunctiuum (*caueat*) instituentes priori (*seruet*) respondentem. potuit namque Cato imperatiuum futurum (igitur, *cauet⟨o⟩*) iuxta subiunctiuum iussiuum ponere, non aliter atque in eodem capite, utrisque hisce modis adhibitis, sic praecepta dedit: *ponito* . . . *tollat, ne cesset* . . . *caueat* . . . *indito* . . . *indito* . . . *subtrahito* . . . *dehorito*. Neque in c. 111 *eo demittito* pro *eodem mittito* cum Keilio Goetzioque legi, quando quidem persuasum habui illam illo in capite uim uerbo *mittere* inesse uulgaris sermonis peculiarem (i. e., ut italice loquar, 'mettere'), quam uiri docti (e. g. Löfstedt, Synt. II, Lund 1933, 379) senescentis dicunt Latinitatis, ego apud Columellam (12, 34) deprehendi Pliniumque (n. h. 12, 31)[2]). *Menturnis* (c. 135, 1) in *Minturnis* mutant, priscae illius oppidi nominis formae (uid. CIL X 1, p. 595; Philipp, R. E. XV 2, 1935) nouam, nescio qua re, anteferentes. *modi⟨i⟩s* (c. 64, 2) et *praefurni⟨i⟩s* (c. 38, 2: *-nis* K²) cum Merula scribunt, cum par esse uideatur Catonem contractam adhibuisse formam. In c. 52, quod propagationem arborum tractat quodque in c. 133 (idem argumentum proponente) locum habet consimilem (c. 52, 1: *eum qualum aut calicem terra impleto calcatoque bene, in arborem relinquito. ubi ita fuerit, ramum sub qualo praecidito* eqs. ∼ c. 133, 3: *eum quasillum terra impleto calcatoque, in arbore relinquito. ubi bimum erit, ramum tenerum infra praecidito* eqs.) scripturam tradunt libri manuscripti *ubi ita fuerit*. hanc Keil (in altera editione) atque Goetz – loco parallelo freti supra memorato, in quo lectio *ubi bimum erit* exstat – corrigendam censuere atque in *ubi bimum fuerit* immutandam esse statuerunt: an recte nescio. nam idem, ni fallor, fieri potuit apud Catonem quod apud Columellam. in libro enim de arboribus (in illo scilicet libro, quem ex priore editione

1) uid. etiam Hauler, o. l., 13.
2) hunc Plini locum tacet Fleischer in Thes. l. l., s. u. 'mitto'.

Columellae operis reliquum esse certo scimus), ubi de satione fit sermo mali punici, haec leguntur (c. 23, 1): *ea res et fertilem arborem reddet et primitiuos annos fructum uinosum, post uero etiam dulcem et apyrinum facit* eqs.; at in V sic Gaditanus exactius scripsit (c. 10, 15): *ea res et f. a. r. et primis annis fructum u., post quinquennium etiam d. et a. f.* eqs. Verborum uertunt ordinem qui in c. 11, 4 traditur *molas unas trusatilis*, cum Merula *molas trusatilis unas* ad arbitrium scribentes, c. 10, 4 collato *molas asinarias unas et trusatilis unas*; at numerus, qui apud Catonem instrumenta recensentem saepe re uera nouissimum optinet locum, interdum tamen medius ponitur uocabulum inter et adiectiuum, ueluti paulo inferius in c. 12 *uectes XL, fibulas XL constibilis ligneas* uel in c. 3, 5 *funes loreos priuos, uectes senos, fibulas duodenas, medipontos priuos loreos*. Alias docuimus[1]) nihil esse cur praue traditam putemus scripturam *quos* in c. 1, 4 (*siet* [sc. *praedium*] *in his agris qui non saepe dominos mutant: qui in his agris praedia uendiderint, quos* [*eos* Keil-Goetz] *pigeat uendidisse*); monstrabimus infra[2]) importunissime fecisse Keilium Goetziumque qui in c. 7, 2 sincerissimam corruperunt scripturam *eae*. Neque in c. 157, 7 nominatiuum *brassica ... sparsa* in accusandi casum mutauerim; nam si attente locum perpenderis, facile tibi persuadebis duas simul brassicae compositiones Catonem praecepisse ad morbum sanandum articularium, brassicae scilicet crudae et brassicae ex aceto oxymeli[3]) et sale sparsae. itaque cum codicibus legendum: *uerum morbum articularium nulla res tam purgat, quam brassica cruda ... et brassica ex aceto ... sparsa*. Mentio capitis 157 admonet ut exinde pauca cursim deligamus, quae mendosa habuerunt et Keil et Goetz. est initio capitis locus parum ad intellegendum apertus, qui sic traditus, *omnia ad salutem temperat* [sc. *brassica*] *commoetatque sese semper cum calore arido simul umida et dulci et amaro et acris*, ita emendatus in Keili Goetzique editionibus legitur: *omnia a. s. t. conmutatque sese semper cum calore, arida simul ⟨et⟩ umida et dulci⟨s⟩ et amara et acris*. putauit Keil (comm., p. 173) Catonem haec docuisse, 'brassicam cum calore, h. e. variis anni temporibus, naturam suam commutare ita, ut simul arida et umida et dulcis et amara et acris esset'. mea quidem sententia, brassicam ita se commutare ait Cato, ut simul cum calore arido umidam ipsa habeat

1) in libro quem 'Introd. al de agri cultura di Catone' intitulaui (Roma 1952, 100, adn. 158 = Messina 1962², 93, adn. 158).

2) uid. p. LV sq., adn. 3.

3) brassicam igitur et mero aceto et aceto mulso, i. e. oxymeli (ἀσυνδέτως duo isti liquores memorantur: perperam Boscherini, Lingua e scienza greca nel „De agri cultura" di Catone, Roma 1970, 81 sq.; 109 sq,) et sale sparsam morbo articulario laborantibus praecipit Cato. — de ablatiuo 'oxymeli' (perperam Boscherini, o. c., 109 sq.) uid. in uniuersum Svennung, Unters. zu Palladius u. z. lat. Fach- und Volkssprache, Lund 1935, 153 sq.; uid. etiam infra, Ind. V.

naturam, cum dulci et amaro[1]) acris sit. Addunt (§ 3 *eadem* [sc. *brassica*] *uulnera putida cancereque purgabit sanosque faciet, quod medicamentum facere non potest*) suo arbitrio *aliud* ante *medicamentum*, eorum iterationem instituentes quae paulo inferius (§ 5) scripsit Cato; *carnem assam* (§ 13 *ubi esse uolet, carnem assam* [*asinam* codd.] *dato*) pro *carnem asinam* legunt, cum minime reiectanea uideatur Ponlederae coniectura Catonem carnis asininae (nam ita, *asin⟨in⟩am*[2]), legere malui) usum praecepisse; *pane* neutraliter traditum (§ 9 *dato pane purum*) masculine reddunt (at cf., e. g., Plaut. Curc. 367; Arn. 1, 59). *in manum* pro *in malum* auctore Gesnero legunt (§ 15 *et si polypus in naso intro erit, brassicam erraticam aridam tritam in manum* [*malum* codd.] *conicito et ad nasum admoueto*), hoc statuentes, Catonem polypo laborantibus praecepisse brassicam erraticam tritam in manum coniciendam adque nares admouendam: at Plinius (n. h. 20, 92) Catonis uerba summatim redigens de brassicae erraticae farina loquitur 'in olfactorio' (non 'in manu') colligenda. satis tamen ego habeo studiosum ad ea delegare quae supra disputaui in epistula ad Ansgarium Aloisium Scalfaro missa. Rationem init Cato de uino singulis mensibus post uindemiam factam familiae metiendo in c. 57: in quo ne cum Keilio consentiam Goetzioque de tribus statuendis lacunis (1. *nono decimo undecimo ⟨duodecimo⟩* [sc. *mense*]; 2. *Saturnalibus et Compitalibus congios ⟨III S⟩*; 3. *in dies heminas, id est ⟨in mense⟩ amphoram*) argumentationibus adducor quas ipse in eadem epistula attuli. hic tertio tantummodo additamento mea definitur dissensio, quae ex eo oritur quod hoc mihi habeo persuasum uerba *in mense* facile subaudienda (eadem enim bis occurrunt antea) a Catone non esse iterata.

Neque ego qui haec dicam[3]) uitiis nudum Catonis librum traditum esse adfirmauerim. de nonnullis modo dixi. nunc ad lacunas uelim animum aduertas quae haud dubie exstant in c. 53 (in quo, coll. c. 73 *dato bubus bibant omnibus*, expleui *ante quam ocinum des quod edint ⟨bubus⟩*, non — quod Keilio duce uoluit Goetz — *⟨boues⟩*, uocabulumque *bubus* eo neglegenter praetermissum censui quod statim post in rubrica eadem sequitur uox *bubus*) uel in c. 61, 1 (in quo lacuna per Plinium forte fortuna explementum habet suum) uel in c. 96, 1 (in quo pro *aquam ⟨in qua⟩* ita lego: *aquam ⟨qua⟩*). Hisce lacuna est addenda, quam in c. 17, 1 adiectiuo explendam censuerim materiem significante omni anni tempore semen habentem et uiride et maturum: *quae materies semen non habet, cum glubebit, tum tempestiua est. eo* q u i a *semen uiride et maturum habet* (*id semen de cupresso de pino quiduis anni legere possis*) *item quiduis anni matura est et tempestiua.* neque uero de-

1) ubi 'dulci' et 'amaro' neutri generis duco ablatiuos.

2) uti e. g. *asinum* ap. Varr. r. r. 2, 8, 2 bis scripsit pro *asininum* librarius cod. Parisini 6842 A (saec. XII – XIII).

3) alia uel in epistula ad Ansgarium Aloisium Scalfaro uel in adnotatione critica disputauimus uel hic in prolegomenis passim.

lectant quae uiri docti coniecerunt ante *eo quia* supplementa (⟨*pinus*⟩ Keil, ⟨*abies*⟩ Brakman, ⟨*alia* [scil. *materia*]⟩ Thielscher, ⟨*cetera materies*⟩ Goujard). quod si formula *eo quia* probabilis non uideretur, utpote Catonis sermoni haudquaquam aliena (cf. c. 6, 4), minus suspensum me teneret Iucundi emendatio *ea* [scil. *materies*] *quae*, quam Edmundus Hauler recepit.

Eorum quae damnanda putauerunt editores, nonnulla inuenies re uera in cancellis includenda, alia tamen loco suo recte posita. nam neque in c. 1, 3 *si* spurium habebis, *uideto* uel aliquid simile si subaudiueris[1]), neque in c. 7, 1 *uino* (i. e., ut puto, 'aptum ad uinum exprimendum'), neque in c. 113, 1 cur *uinum* 'post *interspiret* vitiose ex superioribus repetitum' (Keil) habendum sit ullam inuenio causam[2]). Incorruptam corrumpunt scripturam in c. 161,1, quippe qui *cauum terra operito* Merulae emendatori *ὁμολογοῦντες* legant, a uetusto Marciano dissidentes reliquisque quotquot exstant manuscriptis, qui omnes, *cauum terrae operito* cum tradant, talem praebent genetiuum qualem e. g. in c. 88, 1, uel in c. 153 uel in c. 156, 1. Alienum in c. 155 habuerunt *segetem*, ut quae illic traduntur *aquam diducere in uias et segetem curare oportet uti fluat* sic legenda monerent, *aquam diducere in uias et* [*segetem*] *curare oportet uti fluat*. mea quidem sententia[3]), si *extra* haplographiae causa post *et* omissum censeas, tale apud Catonem inuenies praeceptum quale apud Columellam (2, 8, 3 'omnem umorem in colliquias atque inde extra segetes diriuemus'). *cum* in c. 21, 5 (*cum plumbum cupam emito ℔ IIII*) deleuerunt, *in* post *plumbum* addentes: nos illud *cum* desperationis cruce notauimus, sub quo plumbi pondus delitescere censuimus ad aedificandam cupam necessarium, uerbumque insequens *plumbum* in *plumbi in* commutauimus, de *plumbū* scriptura cogitantes ex *plumbu* uitiose expressa. Item ne alienum putes *solum* in c. 75 (*Libum hoc modo facito . . . farinae siligineae libra⟨m⟩ aut, si uoles tenerius esse, selibram similaginis solum eodem* [sc. *in mortarium*] *indito*). traditam enim scripturam custodies, *solum* si aduerbium putaueris (cf. c. 8, 2: *eum fundum solum*), quo Cato significare potuit, in libi tenerioris confecturam selibram similaginis tantummodo sufficere.

Eorum quae desperationis cruce notauerunt editores, in aliis emendatio occurrit uel certa uel probabili nitens coniectura[4]), in

---

1) uid. Pighi, Appunti per un comm. al libro di C. sull'agr., Como 1944, 17.

2) cf. etiam Bannier, Rh. Mus. 69, 1914, 508.

3) uid. quae ad locum adnotauimus.

4) in c. 10, 3 facili acquiescerem emendatione *VIII* (quae lectio est codicis **m**), nisi in dubitatione uersarer an Florentini scriptura *.N. III.* ex *IV* orta esset. quidam enim (detur mihi uenia coniecturanti), alium prae se cum haberet manuscriptum, in quo numerus 'quattuor' non nota *IV* sed *IIII* esset significatus atque istius notae figmentum ex illo codice cum uellet repraesentare, tris hastas

aliis quidem aqua, ut aiunt, e pumice postulatur. nam ad arbitrium *de dolio* utrique protulerunt quod codices tradunt *deco* in c. 154: in quo, de uini iusto numero ac legitimo controuersia cum emptore ne habeatur, *οἰνοπώλῃ* suadet Cato ut labrum conficiat culleare non modo deorsum uersum perforandum fistulaque opturandum, sed etiam 'ad summum qua fini culleum [i. e. cullei mensuram] capiet' ipsum pertundendum. duo igitur foramina sunt in labro faciunda: inferius alterum, quod inserta fistula opturatur; alterum superius, quod (paulo capacius, ut uidetur, labrum cum esset) cullei mensurae quasi notaculum exstet. mox deinde pergit Cato: *id* [i. e. labr. cull.] *in suggestu inter dolia positum habeto, uti in culleum †deco† uinum salire possit. id* [i. e. labr. cull.] *impleto, postea obturato.* spinosiorem reddit corruptelam *deco* dubitatio qua aestuamus utrum in uerbis 'uti in culleum uinum salire possit' uox 'culleus' ad cullei mensuram referatur qua in parte superiore labrum sit pertusura signandum an utrem denotet emptoris. nam si emptoris *ἀσκόν* putaueris indicatum, Catonem dixeris praecipere labrum esse in suggestu ponendum, quo commodius pars anterior utris (quem pictura Pompeis reperta ad libellam aequum repraesentat plostello stratum atque collo fingit sursum finitum) fistulae supponatur ad accipiendum uinum ex labro depromptum. haec si uera esset interpretatio, de emendatione haesitabundus

---

III

(igitur *III*) supra *V* signare potuit (igitur *IV*), quae praecedenti iota (*I*) appositae, notam *IIII* efficerent. fundamento haec suspicio nisi careat, est, ni fallor, cur de numero falcium fenariarum (quas Cato in oleto agri iugera CCXL habendas monuit) dubitemus, *IV* an *VIII*. – Scripturae quam in c. 157 (§ 11) et Florentinus deperditus et libri exstantes manuscripti tradunt deprauatam *si mulier eo lotio* [scil. *lotio eius qui brassicam essitarit*] *locos fouebit, numquam †umseri† fient,* probabilem inuenires emendationem, si ex multis uuluae morbis illum ut procul dubio eligeres tibi datum esset, quem Cato indicauit. de uuluae fluctionibus sistendis olim ego cogitans, leui emendatione *umiferi* castigaui, ab Paulo Thielscher (uid. infra, app. cr.) probata. de brassica menstrualem fluorem prouocante cogitant Siluanus Boscherini et Aemilius Pianezzola: quorum prior – corruptelae uices comminiscens implicatas – scripturam principalem *sicci* fuisse praesumit (igitur *numquam sicci fient*), quam glossa *ξηροί* – priore tempore graece scripta, postero tamen latine in *seri* transfigurata atque in contextum inserta – non eiecit, quandoquidem antiqua lectio *sicci*, in *um* tamen deprauata, cum nouicia (*seri*) mansit (igitur *umseri*); suadet alter – cuius coniectatio re uera allicit – in litteris *um* (quae, adiectiuo *seri* agglutinatae, informem parturierunt lectionem *umseri*) uocabuli *menses* compendium delitescere (igitur *numquam menses seri fient*). emendationem *umiferi* quam, abiecta omni cunctatione, ego in priore editione protuleram, in hac altera repudiaui.

cogitarem *de co⟨llo⟩*. Ad nodum exsoluendum corruptelae, quae in c. 45, 2 deprehenditur, ubi de taleis oleagineis fit sermo in scrobe serendis, non inane auxilium a Columella accipi potest. Catonis enim uerbis *si ita seueris †utusstet† talea melius uiuet* hoc in libro V Gaditani respondet praeceptum: *taleae... rubrica notentur, ut sic, quemadmodum in arbore steterat ramus, ita pars recte et cacumine caelum spectans deponatur* [1]). scriptura nitens *utis stet* 'in ueteribus libris' exstante (at uid. infra, p. LXVIII), censuit Victorius *uti stet* esse legendum; item, post Gesnerum, Keil et Goetz; item recentiores editores, praeter Thielscher, qui, consecutiuae ἀκολουθίας uim lectioni *utusstet* (uel *utis stet*) cum negaret, *uti stet⟨erit⟩* castigauit, ad eundem fere modum quo Schneider (*uti steterat*). nec est praetereundum quid Edmundus Hauler atque Stenius Hedberg coniectura sint consecuti: quorum alter *uti exstet* legendum suasit, alter inter duas fluctuatur coniecturas, *ut ⟨rect⟩a[s] stet* uel *ut ⟨ram⟩us stet⟨it⟩*. hac in re aleae plena nil tentare ac periclitari malim; attamen, quantulum id cumque est, quid sim ego argumentatus referam. si inquinata scriptura *utusstet* (quam in Florentino exstitisse, Victori pace dixerim, persuasum habeo) talem re uera reddit litterarum numerum qualem Catonis manus exarauit; ad summam, nulla si in illa lectione exstet cuiusuis generis lacuna [2]), continuam scripturam *utusstet* sic diuidas licet ut istud litterarum implicamentum aut *ut us stet* (ubi tamen litterae *us* compendium quoddam celare possunt) abscindas aut *ut usstet* aut (si coniunctionem *uti*, non *ut*, Catonem adhibuisse putes) *uti isstet*. res si forte ita se haberet, de emendatione cogitauerim *ut asstet*, in qua et confusionem aduerteris uocalium *u* et *a* in Florentino codice non infrequentem [3]) et uerbum *adstare* (quod geminata consonante *s* scriptum tum in titulis inuenitur tum in codicibus manuscriptis [4])) ea significatione usurpatum qua recta (et uerticalis) positio indicatur: satis habeo uocabuli '(h)asta' etymon memorare, quod in V Varronis legitur de lingua latina (§ 115) ''asta' quod a s t a n s solet ferri'. Sed aliquos perspiciamus locos alogo uel notatos uel notandos. nihil inueni quod ueterem scripturam explicare posset in c. 146, 1 *iri pri primae* [5]); nihil quod intellegibilem redderet in c. 160 scripturam *et luxato*, quae *uel luxato* in alio codice sonabat. Obscurum est, non nego, illud *die* quod in c. 150, 2 uno consensu tradunt manuscripti (*d i e lanam et agnos uendat menses X* eqs.); atque

1) nescio an apud Palladium (3, 18, 2: *rubrica partes notentur quibus obuersae steterant, et contra eas simili ratione ponantur*) aliquid insit ad scripturam *utusstet* castigandam aptum.

2) si enim in lectione *stet* lacunam inesse censeas, ipsam, e. g., sic, *s⟨pec⟩tet*, explere possis.

3) uid. etiam infra, p. XLIX, adn. 3.

4) e.g., CIL VI 746 (= ILS 4202): *asstante*; Plaut. Men. 676: *asstas* (C *has stas* B[2]); Merc. 187: *assistit* (CD); Mil. 446: *asstas* (D[1]), al.

5) *primae*, i. e., quod uidit Pontedera, *pressurae*: ceterum cf. CIL XV 4512; Colum. 12, 52, 11.

mirum est, mea quidem sententia, ut iterum (an casu et fortuito nescio) istud uocabulum deprehendatur eodem casu adhibitum (c. 5, 4: *poerarium mercenarium politorem diutius eundem ne habeat die*) quod — in contextu quid sonet cogitatione cum assequi nequeam — alogo notandum puto. Loca enumerat Cato quibus uenum uillae instrumenta dantur in c. 135, 1[1]): in quo ad distinguendi difficultatem, ut qua quaeque emantur sedes certa ratione significetur, corruptela accedit *eame* (*fiscinae campanicae eame utiles sunt*). sub qua quid delitescat si forte detegas, eris mihi magnus Apollo. attamen si per *eame* quo loci campanicae uenirent fiscinae Cato indicare uoluit non aliter ac romanicas empturis Suessam commonstrauit Casinumque necnon Romam[2]), de *Cumae* locatiuo cogitauerim[3]). neque ad hunc locum facit quod corruptelam illam sequitur uocabulum *utiles*: quid enim ad rem?[4]) ego peruersam quam putaui scripturam *utiles*, una sublata littera, *uiles* castigaui[5]). sed haec hactenus.

---

1) 'In rubrica capitis in archetypo scripta erant haec, *tunicae et ceterae res ubicumque emantur*, pro quibus Victorius ex indice capitulorum in inscriptione dedit haec, *quemadmodum tunicas ceterasque res et ubi emas* . . . sed si veterem scripturam, quae in rubrica corrupta erat, sequimur, potius scribendum erit *Tunicae et ceterae res ubi emantur*'. haec in commentario Henricus Keil. nos eorum memores quae de aduerbi *ubicumque* ui apud Plautum Terentium Lucretium Ciceronem docte ac recte disseruit Ferrarino (*Cumque* e i composti di *que*, Bologna 1942, 194sq.), traditam custodiuimus scripturam.

2) ait enim Cato: *fiscinas Romanicas* [sc. *emito*] *Suessae Casino: optimae erunt Romae*. in quibus si cum Keilio Goetzioque lacunam ante *optimae* statuas, salebrosam uitabis structuram, Catonis tamen studiosum defrudabis.

3) nil mirandum si, ut, e. g., Antemnarum Cato in I Originum (HRR² I 62/21: *Antemna †ntia† ueterior est quam Roma*) uel Mytilenarum Ennius in Hedyphageticis (Var. 219/36 V.³: *Mytilenae est pecten*), ita Cumarum nomen, quod multitudinis capit numerum, singulariter usurpauit Porcius. quod et in nummis aduertes et — si Woelfflin recte disputauit (cf. etiam Funaioli, Arch. f. lat. Lexik. 13, 1904, 305sq. = Studi di lett. ant. II 2, Bologna 1947, 253sq.) — in CIL IV 1939 (*Kumai*). — quod ad litteras *c* et *e* attinet Florentino in codice permutatas uid. Varr. 2, 1, 6 (*actam* pro *Aeetam*); litteram *a* persaepe et in Catonis opusculo et in Varronis libris pro *u* idem codex tradidit.

4) reiectanea putauit Meursius 'et ab aliquo male feriato adsuta' uerba *hae hamae* (ita namque ex Aldina a. 1514 ad Schneideri editionem usque [a. 1828] corruptum *eame* castigatum deprehenditur) *utiles sunt*; Meursio assensit cum Popma Gesner, qui eadem cancellis saepsit.

5) item, e.g., scripturam *utilissime* pro *uilissime* tradunt libri manuscripti **SAR** in l. XII Columellae (39, 4: *utilissime* [sic!] *constat*).

III.

Nunc ad codices pergamus a deperditis exordientes: quos si non omnes, at saltem praecipuos recensebo. principem nempe tenet locum quippe Marciano haud dubie uetustior codex ille, a quo in contextum ipsum capitis 160 diuersa inrepsit scriptura quae in marginibus adnotata uel inter uersus Florentini exstabat in archetypo[1]). nouissimis, ut uidetur, annis saeculi XIII Catonem et Varronem Petrus de Crescentiis in codice quodam legit, quem amissum minime hercle suspiramus. fuit Ioanni Aretino, ut ex Candidi epistula apparet quam supra memorauimus, codex peruetustus carieque semesus, in quo non modo Cato Varroque sed etiam Columella coniunctim exstabat Palladiusque. fuerintne praeter Catonem alii de re rustica scriptores illo in codice manuscripto quem uetustissimum litterisque langobardicis exaratum[2]) ab episcopo Aretino Francisco Piendibeni sculptorem illum Michelotium ut sibi impetraret per epistulam a. d. V Kal. Ian. a. 1433 conscriptam[3]) obsecrabat Nicolaus Niccoli (c. a. 1364–1437) non liquet. Cato Varroque necnon Vitruuius in uno libro inerant, quem Ioannes de Monsterolio (1354–1418) ex Italia acceptum ad amicum quendam miserat, 'talium amantissimum', qui illum transcribendum curaret[4]). eosdem habuit auc-

1) uid. infra, p. CIXsq.

2) hunc codicem eundem fuisse atque Marcianum censuit, etsi haesitanter, Henricus Keil, Obs. crit. in Cat. et Varr. de r. r. libros, Halle 1849, 17.

3) perperam adseuerat Tinus Foffano (Italia medioev. e uman. 12, 1969, 121, 3) hanc epistulam periisse. in qua, Foro Liui adseruata in bibliotheca municipali (Autogr. Piancastelli 1578: uid. etiam A. C. de la Mare, The handwrit. of Italian humanists, I, fasc. I, Oxford 1973, 59sq. et tab. XIIIa), haec inter alia leguntur: 'In quel medesimo tempo [i. e. a. d. X kal. Ian. a. 1433] ch'io mi trouai col uescouo a Bibiena sentì da llui ch'egli aueua. Catone censorio de agricultura. uno libro antiquissimo di lettera longobarda, il quale libro arei caro tenerlo. XV. dì, tanto ch'io il riscontrassi chon uno ch'io n'ò ch'è molto corropto et ch'io il potessi emendare et subito glelo rimanderei' eqs.

4) uid. Jean de Montreuil, Opera, I 1, Epistolario, a cura di E. Ornato, Torino 1963, 224 (ep. 157): '. . . quoniam ab Italia Cato

tores, Catonem dico Varronemque, uolumen illud quod a.1426 a Nicolao Niccoli quaesiuit Poggio (1380–1459)[1]) necnon liber ille Patauii ex bono exemplario exscriptus, quem Francisci Barbari (c.a.1395–1454) fuisse Petrus Victorius tradidit[2]). periit, quod ualde dolemus, Catonis codex ms., cuius nonnullas lectiones adnotatas inuenimus in apographo quodam editionis rhegiensis, quod olim Iano fuit Parrhasio[3]) (1470–1522), hodie Neapoli adseruatur in bibliotheca Nationali[4]).

De hisce, quos supra memoraui, libris manuscriptis paucissima neque ea satis certa accepimus. plura econtra

---

Censorinus [sic!] et Varro de Agricultura, necnon de Architectura Viturinus [sic!], et simul senex Plautus michi missi sunt et allati, quos, ut uerum fatear, nescio apud alium quemquam citra montes existere, ne apud collegium quidem, et uos sciam talium amantissimum, illos uobis offero, ut transcribi faciatis . . .'. idem insunt scriptores (Cato Varro Vitruuius) in cod. Laur. 30, 10 (saec. XIV: uid. infra, p. CI), huius codicis quem Ioannes habuit apographo.

1) ep. 3, 1 (= I 188 De Tonellis): 'uellem quoque mitteres Catonem et Varronem de Agricultura'. uerisimile duco librum istum (ad quem haut dubie spectat manuscriptorum, quos habuit Poggio, index: cf. Walser, Poggius Florentinus. Leben u. Werke, Leipzig–Berlin 1914, 107, 1) eundem fuisse ac Parisinum 6842 A.

2) Vict. praef. ad Explic., Lugduni 1542, 4: 'De uno [sc. libro maun scripto] tantum, qui diligenter exaratus fuit, et e bono exemplari exscriptus Patauii, non tacebo. Francisci autem Barbari, patricii Veneti, quondam fuit: et eius studio in ea urbe, in qua doctrinarum domicilium est, diligenter descriptus fuisse illic traditur'.

3) in nouissima pagina ante registrum: 'Antonij Seripandi ex Iani Parrhasii testamento'.

4) Incun. IX H 13 (olim IX H 7). palam de istis adnotationibus primus fecit Lepore (Giorn. ital. filol. 7, 1952, 196sqq.), qui adseueranter adfirmauit eas Parrhasium exarauisse. quod negauerim, quando quidem Parrhasi manus (quae in eodem uolumine nonnulla re uera adnotauit, utputa ad X Columellae) alia certo fuit atque in hisce aduertitur paucis adnotationibus. – in iis quae ex uariis auctoribus hausta Parrhasius manu sua adnotauit (Neap. XIII B 21) haec inueni Catoniana: f. 2^{r} 'amphora ut scribit Cato heminas tris [sic!] capiebat' [= c. 57]; f. 27^{r} 'Cortinam plumbeam in lacum ponito quo oleum fluat. M. Cato in re agraria' [= c. 66, 1]. praeterea in alio manuscripto parrhasiano (Neap. XIII B 14) haec: f. 110^{r} 'Centones ut docet Cato [c. 59] fiebant ex attrita ueste uel in unum condensatis lanis'. alia ex opusculo Catonis aliubi Parrhasius adnotauit.

de Marciano comperimus, quem abhinc amplius quadringentis annis deperditum Politianus inspexit Victoriusque. fuit olim codex iste Florentiae in bibliotheca diui Marci[1]), in quo una cum Catone Varroneque erant Columellae Gargilique Martialis transcripti libri. hunc a. 1482 adhibuit Politianus cumque principe editione contulit, quam Georgius Merula a. 1472 apud Nicolaum Jenson Venetiis ediderat[2]): in qua e Marciano cum commutanda adnotauit tum eximenda, ita ut 'ne ea quidem non ascriberet si qua deprauatiora uiderentur'. sexaginta fere post annos Petrus quoque Victorius Florentinum prae se habuit in edendis a. 1541 Catonis Varronisque libris et in Explicationibus quas nonnullas a. 1542 et in Catonem fecit et in Varronem[3]) de quibusdam lectionibus disseruit quas in illo inuenerat codice.

Habet Florentinus codex laudes apud Politianum Victoriumque maxumas: hic una cum exemplari, quod modo 'antiquissimum' dicit modo 'optimum et antiquissimum' nunc tamquam 'peruetustum uolumen' indicauit nunc 'uetustissimum fidelissimumque', librari quoque diligentiam identidem laudauit, utpote qui mendi notulam ad illos adponeret locos quos suspectos habuisset[4]); tamquam de codice 'uenerandae uetustatis' uel 'uetustissimo' loqui-

---

1) nescio an ad istum codicem spectent quae in 'Inventario di tutte cose trovate in casa di Giovanni de' Medici', a. 1417 confecto, leguntur (ap. F. Pintor, Italia medioev. e uman. 3, 1960, 199): '(Nello scriptoio di Cosimo:) Chato Censorio de re rustica.'

2) habuit olim hoc Merulianae editionis exemplar Ricasolorum familia (uid. Bandini, Ragion. istor. sopra le collaz. delle fior. Pandette fatte da A. Poliziano, Livorno 1762, 67), quod, a praestantissimo uiro russicae gentis Boutourlin a. d. X Kal. Dec. a 1818 mercatum, inde ab a. 1839 Lutetiae Parisiorum in bibliotheca Nationali adseruatur notaque Rés. S. 439 insignitum inuenitur.

3) Marci Catonis ac M. Teren. Varronis de re rustica libri, per Petrum Victorium, ad ueterum exemplarium fidem, suae integritati restituti, Lugduni apud Seb. Gryphium, 1541; Petri Victorii Explicationes suarum in Catonem, Varronem, Columellam Castigationum. Apud Seb. Gryphium Lugduni, 1542.

4) quorum hosce memorauit apud Catonem Victorius: c. 39, 1 (*uirisicca*), c. 52, 2 (*ex una parte*), c. 62 (*bouerum*), c. 76, 4 (*de ueprimo*), c. 112, 3 (*de scopio* et, ut uidetur, *pura*), c. 142 (*quae domino praeceps*), c. 157, 11 (*numquamum seri fient*).

tur ille. frustra tamen a Politiano quaeras Victorioue quibus litteris sit conscriptus Florentinus: neque utrumque ad haec indicanda insolitum fuisse censeas, Politianum si cogites de altero e. g. Columellae Palladique exemplari, quicum Merulae editionem ille contulit, tamquam de uetustissimo uolumine locutum esse litteris langobardis exarato[1]), Victoriumque memineris de Laurentiano 30. 10 tamquam de codice disseruisse litteris scripto gallicis[2]).

Nil aliud de Florentino uterque tradidit, nisi quod usque ad Varr. 3, 17, 4 (*tubicinam graecum*) oculis illic perspici poterat, reliquis sex paragraphis (quibus Varronis perficitur opus) deficientibus. addit Victorius duos alios rer. rust. scriptores (ut ex inscriptione apparebat quae, rubrica notata, in fronte libri erat) ibidem olim extitisse, Gargilium scilicet Martialem atque Columellam[3]).

---

1) uid. quae in editione Meruliana (f. 239ᵘ) adnotauit Politianus: 'Contuli hos Columellę libros ego Angelus Politianus cum duobus exemplaribus. altero quidem uetustissimo Langobardis exarato litteris ex priuata Medicę gentis bibliotheca' eqs.

2) Vict., praef. ad Explic. in Catonem (Lugduni 1542), p. 4: 'in alio uolumine . . . quod literis Gallicis scriptum uidebatur'. cf. praeterea adn. ad Varr. 1, 48, 1 ('in Gallicano etiam codice'); 1, 19, 1 ('minoris uetustatis liber, a Gallo homine scriptus'); 1, 55, 5 ('in semiuetere alio, qui Galli hominis manu exaratus est').

3) Vict., o. l., p. 3 sq.: 'Vetustißimum uolumen est in diui Marci bibliotheca, in quo M. Catonis unus liber est, quem de Re rustica scripsit: ac tres M. Terentij Varronis, Rerum item rusticarum. Is unus liber . . . maiores mihi utilitates praebuit, quam uniuersi alij: superat enim reliquos, quos habui, longo interuallo, et uetustate, et fidelitate. Nec tamen cuncti, qui in eo continebantur auctores, ad nos peruenerunt: nam duo toti uetustate collapsi sunt, et M. Varronis extrema etiam pars defecit [cf. quae in margine edit. Merulianae (f. 85ʳ) adnotauit Politianus ad uerba *tubicinam graecum* (r. r. 3, 17, 4): 'hactenus cum uetustissimo codice emendaui: nam reliquum in illo quidem deest']. Quemadmodum autem ex uetere inscriptione, quae in fronte libri est, cognoscimus, Iuni Moderati Columellae XII. libri illic etiam erant, et unus ante illos Claudi [sic!] Martialis: literae tamen et antiquitate, et frequenti attritu in prima parte libri ita deletae sunt, ut rubricam superinducere opus fuerit (rubrica enim notatae huiuscemodi inscriptiones in eo sunt) quare macula aliqua in his nominibus esse potest. Martialis tamen aperte legitur'. uid. praeterea adn. ad Varr. 3, 17, 4: 'postrema uerba [sc. *tubicinam graecum*] in eo sunt: reliquum enim libri defecit. Hinc autem integritas eius codicis intelligi potest,

Facile coniciendum est et ex uerbis quae hic illic in editione Meruliana fecit Politianus et ex Explicationibus, quas — ut supra dixi — a. 1542 Victorius Lugduni edidit, adnotationes Florentino in codice fuisse, quarum nonnullas eiusdem esse librari manu ascriptas qui et ipsum descripserat codicem certo scimus. in quo secernas uelim adnotationes duplicem praebentes scripturam ab illis quae scriba ad aliquid posuerat conspicuum faciendum. harum sit inter exempla adnotatio ad c. 84 (in qua referenda Politianus nota illa usus est *ση*, i. e. *σημείωσαι*), *hucusque de duobus emendaui hinc de uno exemplario tantum*[1]); duplicem adnotauerat librarius scripturam[2]) ad c. 20, 2 (**modiolos* et *modulos*[3])), c. 57 (**q.* et *al. quadrantalia*), c. 59 (**uestimenta* et *al. Quadrantalia*[4])), c. 95, 2 (***nascetur*

---

quod extremum hunc librum multae, ac magnae maculae statim occuparunt: quae antea superstite illo non tam licenter uagabantur . . . Sed maius etiam damnum fecimus, quod antiquus rei rusticae scriptor, si hic liber temporis iniurias subterfugere potuisset, una cum eo conseruatus esset: et alium, quem tamen habemus, emendatiorem ut puto, haberemus'.

1) uid. supra, p. XL.

2) una stellula Politianum solum facit testem; Victorium duae; nullum notaculum ambos. — perperam Goetz (praef. ad Caton. edit., Lipsiae 1922, V): 'P. 13, 24 [= c. 5, 6] Politianus testatur *opsequito* et s. scr. *l'tor* in codice fuisse'. re uera alteram lectionem e cod. Laur. 30, 10 adnotauit Politianus.

3) signo /. quod supra lectionem Merulianam ***Modulos*** apposuit Politianus, duo respondent in margine eiusdemmodi signa, alterum iuxta alterum supra scripturam appictum ***Modiolos***, quam, compendio *.L.* (i. e. *uel*) praeposito, e Marciano Politianus ipse adnotauit. istiusmodi adnotatione uoluit, ni fallor, Politianus declarare in Marciano ***Modiolos*** in contextu exstare, ***Modulos*** in margine. uid. etiam infra, p. XCV sq.

4) quo pacto initio capitis 59 hanc Florentini librarius adnotauerit alteram lectionem *quadrantalia* ad *uestimenta* animo concipere nequeo. neque uero Keilio assentiar, errasse Politianum, utpote qui *als. Quadrantalia* adscriberet, 'quod ad ea potius pertinere uolebat, quae supra c. 57 scripta sunt *Q. X. ebibere*, ubi *q. X* ex codice adnotauit et ex eodem codice in margine *al'. Quadrantalia adscripsit*'. minime enim apparet qua ratione sit Politianus in hunc errorem lapsus, qui certo habuit ipse quod miraretur commune quadrantalibus quidnam esset uestimentis (de sculponiis hoc de suo addidit ille testimonium in margine editionis Merulianae [f. 29u]: 'Varro Triptolemum sculponeatum dixit in Serrano: ut apud No-

intus, *nocebit* in margine), c. 106, 1 (**q.* et *al. quadrantarium*), c. 112, 3 (*.q̄. intus et in marg. *al quadrantalia*[1]); *de scopio* intus, *al descōpione* in margine; *pura* in contextu, *al curata* in margine), c. 122 (** *capreidam* intus et in marg. *capidam*), c. 160 (*pe* ^t^*res*). hisce lectionem addiderim **corcubulas* in c. 11, 5: syllabam enim *cu*, quam Politianus supra scripturam Merulianam *corbulas* posuit inter *r* et *b* (*cor*^cu^*bulas*), potuit ex alterutro codice Florentini librarius adnotare.[2])

Separatim[3]) est sermocinandum de lectionibus nonnullis quas nota *c'* praeposita Politianus in editione principe modo supra scripturam Merulianam adnotauit modo supra illam quam ipse e

---

nium [= p. 241 L.] in uocabulo *Rurant*'): absurda enim insolentique illa adnotatione inquietatus atque perturbatus, haesit Politianus ipsa an esset delenda; qua re, ni fallor, signum quod supra *uestimenta* in contextu posuerat, leuissima infuscauit litura. nec illud, mea sententia grauissimum, transiluerim, Politianum subter adnotamentum *als. Quadrantalia* lineam deletilem (uid. infra, p. LXXIX, adn. 1) duxisse, quam et in ipso exemplari Florentino fuisse mihi habeo persuasum.

1) re uera alteram lectionem *al quadrantalia* Politianus ad litteras posuit singulares *.q. s. s. e.*, quibus scripturam merulianam *quadrantalia. s. s. &* e Florentino ipse correxerat. nemo tamen dubitare potest lectionem illam alteram in libro uetustissimo — non aliter atque in codice Parisino (uid. app. ad loc.) — ad compendium potius esse positam .q̄., quod minimo interuallo in contextu Catonis mox deinde deprehenditur.

2) *corbulas* scripsisse Florentini librarium, non — ut omnes arbitrantur — *corcubulas* (in Florentino enim syllaba *cu*, ni fallor suprascripta, alteram significabat lectionem), ex eo colligo quod inter uocabula, quae ad c. 11 in margine a Politiano memorata talem Catonis contextum postulant qualem non Georgius Merula sed codex dederat Florentinus (uid. etiam infra, p. LXXVII), Politianus 'Corbulae amerinae' adnotauit.

3) quaeritur quidnam sibi adnotatio *densa* (ad c. 7, 2 *lora* intus, *densa* in marg.) uoluerit in Florentini marginibus inscripta ('*densa* quo pertineat non apparet', Keil; '*densa* quid sit incertum est: uoluitne *in densa loca = in crassa loca*?', Goetz). perpendenti mihi Catonis locum integrum (*in eodem* [i.e. *suburbano fundo*] *suum quidquid conseri oportet: uitem compluaria⟨m⟩* [*cōpularia* codd.: emendaui] *aminnium minusculum uino et maius et apicium: eae in olla in uinace⟨i⟩s conduntur: eadem in sapa, in musto, in lora recte conduntur*) quid sit non uideo cur cum Keilio Goetzioque *eae* in *uuae* mutemus, quando quidem, mentione facta compluariae uitis, Cato

Florentino uetusto deprompserat. potest enim exoriri dubitatio utrum ista adnotamenta, quae eodem atramento exarauit Politianus quod in exprimenda Florentini scriptura adhibuit[1]), Politianum monstrent ipsum emendantem an sint de Florentino ipso tracta. quae si cognoscere uelis adnotamenta, hisce inuenies in capitibus[2]):

	/· ċ *far*	/·
c. 2, 4	*expinsi lar*	cremariq;
	ċ *am*[3])	
11 (rubr.)	*uinię*	
		∸
17, 1	∸ ċ*qd uis*	quisuis
	ċ . . *ł retib'*[4])	
25	*lecto restibus sb'tēto*	
141, 1	/· ċ *uti illace suouitaurilia*[5])	
	·/·	ċ *ut*
149, 2	boni uiri	*ua*
	ċ *donec*	
156, 5	usq;dum ea	

---

de aminneo minusculo maioreque et apicio tamquam de uuis loqui uidetur, feminino igitur genere (*eae*) utitur (cf. Varr. 1, 58 *Cato ait uuam aminneam minusculam et maiorem et apiciam in ollis commodissime condi*). quod ad adnotationem attinet *densa* (quam ad uocabulum *lora* eademne appinxerit Florentini codicis manus an altera plane ignoramus: uid. etiam infra, p. CXIV, adn. 4) eo pacto explicari potest ut, quam lectio altera, explementum potius habeatur. tam mirum enim Catonis praeceptum hodieque uidetur, in lora uuas condi posse, ut ipsum uel falsum uel mancum putes: quare fieri potuit ut uel Marciani scriba uel alius nescio quis *densa* quasi necessarium supplementum ad *lora* adiceret (cf. etiam Amatucci, Boll. fil. cl. 30, 1924, 41).

1) uid. infra, p. XC.

2) rectis litteris scripturam dedi Merulianam; inclinatae adnotamenta reddunt Politiani. uid. praeterea infra, p. LXXIX, adn. 1.

3) haerent oculi mei an in is quae Politianus e Florentino codice exscripsit (. ℞. *QVOmodo uinię* (c'am) *Iug. C. Instituere oporteat*) lectio *uinię* (c'am) ex *uiniā* orta sit. si ita re uera se habeat, fieri potuit ut Politianus primo *uiniā* scriberet, correctionem igitur recipiens quae supra *uinię* in Florentino erat exarata, deinde tamen et eodem temporis puncto, Florentini imaginem cum reddere uellet, *-ā* in *-ę* mutaret. at res incertissima est.

4) *łne retibus* an ċ *retibus*? uid. praeterea infra p. CXI, adn. 1.

5) uid. infra, p. LXII, adn. 4.

Hisce in adnotamentis quin uel librari ipsius uel alterius manus emendationes repetat Politianus haudquaquam dubito[1]). hac enim in re memoratu habeo digna quae ad Varr. 2, 7, 11[2]) Politianus e Florentino adnotauit, lectionem Merulianam *ne ungulas cōmutet stercus cauebit* e uetusto illo libro cum emendaret. nam *-rat* supra *-tet* et *tenebat* pro *cauebit* scripsit (igitur Florentini scripturam *ne ungulas cōmurat stercus tenebat* restituit): at uocabulum *tenellas* (quod statim expunxit) pro *tenebat* in ipso negotio scripserat, quod in margine iterum inuenies in adnotatione *c' comburat stercus tenellas*. unde suspicari licet Politiani oculos a Florentini scriptura *tenebat* distractos ad emendationem lapsos esse *tenellas*, quam supra *tenebat* uel librarius ipse adnotauerat uel altera manus. item ad Merulianam scripturam *Cesare iubente datus* (Varr. 1, 2, 7), haec in margine e Florentino adnotauit Politianus: *Cesarem Inundatus. c'. Cis Aremin* [sic!] *datus*. et hactenus contenti simus exemplis.

Alia quae Florentino fuerint peculiaria inuestigare si uelimus, coniectemus oportet. ita ad exteriorem codicis formam quod attinet, in plenissima cum uersemur ignoratione, hariolari satis habeamus, caput 13 in eadem extitisse pagina atque 12. quanam enim ratione explicare poteris errorem, in quem primo Politianus inciderat, exordio uidelicet amborum capitum simillimo deceptus (c. 12 *in torcularium quae opus sunt*; c. 13 *in torcularium in usu quod opus est*), nisi quod ante oculos utrumque caput ille haberet, in eadem descriptum pagina, ut aberratione quadam (quod in huiusmodi causis secundum est naturam) ad initii capitis 12 similitudinem subsequentis principium correcturus esset[3])? item in eadem fuisse

1) cf. etiam quae de nota c^e (i. e. *corrige*) uel c^o (i. e. *corrigo*) lectionibus praeposita a Politiano in Stati Siluarum editione principe adnotauit Klotz, praef. ad Silu. Stati (Lipsiae 1911), p. LI; cf. praeterea Pasquali, Storia della tradiz. e critica del testo, Firenze 1952², 70, 3; S. Rizzo, Il lessico filol. degli umanisti, Roma 1973, 272 sqq.

2) nota *c'* usus plura in Varronis libris quam in Catonis opusculo adnotauit Politianus.

3) nam uerba, quae initio capitis 13 Merula sic ediderat *In torcularium usu quod opus sit*, ita imprudens primo emendauerat Politianus ut, *usu* deleto et *quod* in *quae* mutato et *sit* in *sunt*, eadem faceret quae caput 12 aperiunt, i. e. *In torcularium quae opus sunt*; post tamen, errorem cum animaduertisset, deletis et uirgula censoria quam ad *usu* posuerat et emendatione *quae*, *in* ante *usu* addidit et *est* pro *sit* scripsit.

pagina uerba (c. 10, 4) *labra XII, dolia quo uinaceos condat X, amurcaria X, uinaria X, frumentaria XX, lupinarium I, serias X, labrum eluacrum I, solium I, labra aquaria II* ex hoc collegerim quod post prius *labra* Politianus *aquaria II* additurus erat, oculis scilicet ad alterum *labra* labentibus. quod si coniectura concedas, uocabulum *labra* et superius et inferius nouissimum in uersu tenuisse locum, litterarum numerum cogitatione finxeris, quibus in Florentino lineae constarent singulae, i. e. 33—35.

De aetate cum nihil prorsus indicare possint uetustatis laudes quas Marciano Politianus dixit et Victorius, ex erroribus licet aliquid existimari, in quos librarius incidit. ad haec si animum aduerteris delicta, Marcianum putabis e quodam exemplario fluxisse minutis conscripto litteris iisdemque, ut uidetur, manu carolina exaratis. hanc enim scribendi speciem in Florentini exemplari ut tibi statuas faciunt huiusmodi menda: 2, 4 *lar* (pro *far*), 43, 1 *controuersiis* (pro *controuersus*), 52, 2 *ex una* (pro *ex ima*), 37, 2 *saucta* (pro *salicta*; cf. 40, 2 *saucem* pro *salicem*, 156, 3 *cauda* pro *calida*), 157, 7 *sictam* (pro *siccam*; econtra 157, 9 *acrum* pro *atrum*), 18, 4 *altum* (pro *altam*; econtra 21, 1 *postulabant* pro *postulabunt* et 157, 7 *inrasā* pro *inrasū*), 37,4 *forulentus* pro *rorulentus*. inuicem exemplar ipsum, e quo Marcianus, ab archetypo pendere maiusculis exarato litteris, in quo uerba *συνεχῶς* transscripta erant, aliis ex mendis patet, quae et in Marcianum inrepsere[1]).

Marciani uel patrem uel potius auum tales habuisse paginas censeo ut binis partitae columellis uersus continerent, qui singuli 18—23 complecterentur litteras. hunc sin-

---

1) in ipso Marciano talis erat, ni fallor, litterarum *r* et *s* similitudo, ut hae facile discerni nequirent. quod ex Varr. 2, 1, 27 colligo, ubi Politianus, ut uidetur, *iniusea* legit, *in iurea* haut dubie Victorius. (in memoriam reducit scriptura *iniusea*, in qua pro *s* est *d* littera subicienda [*iniusea* = *in Iudaea*] mendum in quod Marciani librarius incidit, *d* ex contrario pro *s* in c. 138 Catonis cum scriberet: lectio enim *non daturus erit*, quam olim ego *Non. daturus erit* emendaui, *non saturus erit* est, Abrahamo Gronov duce, castiganda.)

gulis in uersibus si fingas litterarum numerum, quid fuerit causae suspiceris licet cur scriba *-issime miscebit is tenu-* (20 litt.) in c. 61 praeterierit, uocibus scilicet deceptus similiter desinentibus *altissime* et *tenuissimas*, ut opinari liceat illo in codice aliquid huiusmodi fuisse:

VMSAEPISSIMEETALTISS
IMEMISCEBITISTENVISS
IMASRADICESEXARABIT

* * *

Institutum habuit Politianus in conferendis exemplaribus ut etiam quae falsa putaret non respueret neque de suo aliquid uel adiceret uel mutaret: hoc impensius in subscriptionibus ille praedicauit, quas e. g. inter annos 1475 et 1494 in exemplari Corsiniano Stati posuit uel a. 1485 in Pelagoni cod. Riccardiano 1179 uel a. 1480 in cod. Leonicensi V 465 uel a. 1491 in Terenti editione. eadem atque hisce in libris uel manuscriptis uel excusis uerba de ratione quam Politianus habuit emendandi in editione quoque Meruliana offendimus rerum rusticarum scriptorum: in qua (f. 85^{u}) haec a Politiano ipso a. d. XI Kal. Mart. a. 1482[1]) scripta legimus: 'Contuli ego Ang. Politianus Catonis hos ac Varronis rerum rusticarum libellos cum uetustissimo codice ex Diui Marci Florentina bibliotheca: sic ut ne ea quidem non ascriberem, siqua deprauatiora uiderentur. hoc enim nobis emendandi nouos codices institutum placuit: ne quid ex nostro temere adiceremus, neu quid omitteremus, quod in antiquioribus exemplaribus inuenissemus. Quod si hoc priores librarij institutum probassent, non tantum profecto negotij laborisque posteris reliquissent. Sicubi ergo nostrum adhibuimus Iudicium, relictis tamen antiquae lectionis uestigijs aliquibus, suum cuique liberum reliquimus.'

---

1) 'Florentiae In diui Pauli Ipso bacchanaliorum die MCCCCLXXXII: ~ Anno altero scilicet nostrae publicae professionis: cum Ouidianos Fastos et Ciceronis Ad herennium Rhetoricos libros enarrabamus: ac Graece linguae rudimenta Florentinae iuuentuti dictabamus.'

Lectionibus igitur, quas Georgi Merulae editionis Politianus in marginibus adnotauit uel inter uersus, est nobis in restituenda Florentini codicis scriptura potissime nitendum, consulto tamen cauentibus ne Politiano fidem temere adiungamus. illius enim oculis ut alia occurrerent atque in Marciano inessent aliquando factum est, aliquando ut nonnulla in adnotando omitteret ab exemplari discrepantia uel ut aliquid iterum scriberet quod iam scripsisset uel contra omitteret quod iam adnotasset. qua tamen in re nolim exaggeranter agas errantemque Politianum iniuria censeas qui saepe non errauit Florentinoque igitur lectiones tribuas quas re uera uir ille doctissimus est aliter testatus.

Nam ex quo a. 1882 Henricus Keil Catonis libri editionem protulit maiorem[1]), quam, duodecim interuallo annorum interiecto, docto commentario adauxit et laborioso, falso creditur Politianus nonnullas Florentini codicis praebuisse lectiones quae perattente inspicientibus aliae manufesto apparent atque illae a Keilio notatae. quod quo clarius eluceat, satis habeas hunc *δίστοιχον* indicem cuius sinistra columna Keili profert adnotationem criticam, dextera nostram[2]):

numeros [sc. capitulorum] in principe editione additos non correxit Politianus	numeros capitum usquequaque in principe editione deleuit Politianus
summ. LXXXIX *Encitum* **V**	*Encytum* **P** (ut uidetur)
c. 2, 7 *precium* **V**	*pretium* **P**
3, 1 *diu* post *conserere* transponendum additis notis, ut videtur, significavit **P**	quas in Marciano inuenerat distinctiones, eas in editione principe ita expressit **P** ut post prius *conserere* uirgulam adderet, punctum (post *studere opor-*

1) minorem edidit, item Lipsiae apud Teubnerum, anno 1895: uid. infra, p. CXXIV sq.

2) siglo **P** uoluit significare Keil quae Politianus e uetere libro adnotauerat, **V** quae in principe editione non mutata reliquerat, **v** denique Merulae solius indicauit scripturam. nos in adnotatione critica de siglis **V** et **v** nil mutauimus, at **F**p (i. e. F[lorentini codicis lectiones a] P[olitiano adnotatae]) pro **P** posuimus (**F**v nil aliud ualet nisi F[lorentini codicis scriptura a] V[ictorio adnotata]): uid. infra, p. CXX sq.

tet a Merula positum) statim post *aedificare* statueret hac nota / usus, aliudque ad alterum *conserere* adponeret punctum eadem superaddita nota[1])

2, 4	*ī bono* v, ubi *ī* delevit **P**, errore ut videtur, cum vellet *eicient* pro *eiicient* scribere	*Ī bono* **P**, qui, post *aedificato* cum interpunxisset, *ī* in *Ī* mutauit, quo aptius uerba *in bono praedio* quae v cum antecedentibus (*pro copia aedificato*) iunxerat, insequentibus (i. e. *si bene aedificaueris*) colliganda significaret
5, 3	*praeter eas* **V**	*praeter ea* **P**
8, 2	*cypram* **P**	*cypream* **P**
10, 2	*labellum pollulum* **P**	*labellum pollulum ·I·* **P**
	truliam **P**	*trullam* **P**
11	(rubr.) *uinię*$^{\textit{neam}}$ **P**	*uinię*$^{\textit{c'am}}$ **P**[2])
12	*cuppas* **V**	*cupas* **P**
18, 4	*indicto* **V**	*indito* **P**
7	*succretam* **V**	*subcretam* **P**
26	*face* **V**	*fac* **P**
27	*oleas sementim* **P**	*oleas per sementim* **P**[3])
32, 2	*perstringas* **V**	*pręstringas* **P**
34, 2	*bonum siet* **V**	*bonum fiet* **P**
36	(rubr.) *que* **P**	*quę* **P**
39, 2	*tertiā* **V**	*tertia* **P**
40, 2	*letum* **P**	*lētum* **P**
47	*Arundinem* **V**	*harundinem* **P**
	ibi serito **V**	*serito* **P**
66, 2	*deorito* **P**	*dehorito* **P**
69, 1	*impleto* **V**	*inpleto* ut uidetur **P**
	arefacito **V**	*arfacito* **P**
76, 4	*tractam singula* **P** (priore loco)	*tractan singula* **P**[4])

1) simillima praebet cod. Paris. 6842 A (saec. XII–XIII).

2) uid. supra, p. LVI, adn. 3.

3) quae Merula ediderat *olea pro sementi* ita e Marciano emendauit Politianus ut litteras *-ro*, lineola ducta, deleret atque *p* transuersim secaret (ꝑ): igitur non *pro* sed *per* significare uoluit reliquaque *olea* ac *sementi* in *oleas* ac *sementim* mutauit.

4) Merulianam scripturam *Tracta singula* ita correxit e Florentino Politianus ut supra *tracta* in nouissima syllaba *n* scriberet. postero tamen tempore ex cod. Mediceo, in quo *tractum* legitur, aliud crusculum huic *n* ipse addidit, ut *m* faceret, atque *c' in* supra adnotauit.

85	*ut bene* **V**	*uti bene* **P**
86	*corticemque deterat/ eluatque bene* **P**	*corticemque deterat bene eluatque bene*[1]) **P**
100	*sic ī* **v**, ubi *c* delevisse videtur **P**	*si ī* **P**
112, 1	*qui* **V**	*qua* **P**
3	*q. s. s. E. et in dolium* **P**	*q. s. s. E. in dolium* **P**
126	*teniae* **P**	*tęniae* **P**
127, 1	*tenias* **P**	*tęnias* **P**
132, 2	*allium* **P**	*alium* **P**
135, 3	*Mēmius* et in marg. *Mennius* **P**	*Mēnius* (*Mennius* in marg.) **P**[2])
135, 6	*ex lapricedinis* **P**	*ex lapṛicedinis* **P**[3])
7	*digi V* **P**	*dig. V* **P**
	digi III **P**	*dig. III* **P**
138	*hec* **P**	*hęc* **P**
140	(rubr.) 'deest in antiquo' adscripsit **P**	'deest in antiquo deletum' adscripsit **P**
141	(rubr.) 'deest in antiquo' adscripsit **P**	'deest in antiquo deletum' adscripsit **P**
1	*inani* **V**	*mani* **P**
	uti illa es uoui taurilia **P**	*uti illac es uouitaurilia*[4]) **P**

---

1) recte emendaturus erat in c. 86 Politianus e Marciano mendosa quae ediderat Merula *corticem decenter eluat*, ut ꝗ (= *que*) post *corticem* adderet ac *decenter eluat* ita corrigeret ut *-cen-* et *elu-* rescinderet ac subinde *bene* adderet, igitur *corticemque deterat bene* sese in Florentino legisse profiteretur; sed post, commodius reputans emendationem in margine integram referre, *deterat* (lineola transuersaria / adposita) *eluatque bene*, priore *bene* neglecto, scripsit.

2) corruptam Merulae scripturam ita emendauit inter uersus Politianus, *.C. Mēnius. L. F.*, sed *Mēmius* pro *Mēnius* scripserat ante, deinde tamen in syllaba *mi* primum deleuit litterae *m* crusculum, ut *ni* significaret; post, quo commodius legeretur, in margine scripturam iterauit, *C. Mennius. L. F.*

3) scripturam *ex lapricedinis* pro Meruliana *ex lapidicinis* cum Politianus e Florentino adnotaret, lineolam sub *r* duxit: quae, ad litteram illam expungendam adhibita, ipso in Florentino, ni fallor, exstabat. — de scriptura *lapricidinis* (uel *-nas*), quae in Plauti (Capt. 1000) mss. deprehenditur, uid. *Φ*, Berl. phil. Woch. 1894, 1100.

4) ita emendauit Politianus uerba quae in principe editione inuenerat *uti illa solitaurilia* ut, in pronomine *illa* dexteram *a* litterae partem leuiter retractans, *illac* in Marciano sese legisse ostenderet atque in uocabulo insequenti lineola deletili sub *sol-* adhibita, *es uou* inter uersus adderet, igitur *uti illac es* (an *illaces?*) *uouitarilia* inuenire uideretur; post tamen, nota *c'* praeposita, *uti*

141, 2 *tum orbos* **P**	*tu morbos* **P**
4 *lentibus* **P**	*lentibus* (?) **P**[1])
144, 4 *impraesentiarum* **V**	*In pręsentiarum* **P** (in marg.)
151, 1 *parcēnius* **P**	*Percēnius* **P**
152 *intrinsecus* **P**	*instrinsecus* **P**
156, 3 *succum* **V**	*sucum* **P**
157, 1 *cōmetatque* **P**	*cōmętatque* **P**
9 *siet* **V**	*fiet* **P**
160 *una petes* **P**	*una pe* t *res* **P**
161, 2 *sarritoque runcatoque* **V**	*saritoque runcatoque* **P**
3 *sarrito et stercorato* **V**	*sarito et stercorato* **P**
162 (rubr.) *Salsura pernarum et ofellae puteolanae* **V**	*Salsurā* (ut uidetur) *pernarum offellae puteolanae* **P**

Hunc si consideraueris indicem, Keilium animaduertes iniuriam fecisse uel Politiani diligentiae uel Florentini codicis librario. econtra alia Keili et in apparatu et in commentario deprehendes falsa, quippe quae uel Politianum faciant inemendata emendantem uel ipsum aberrantem ignorent. uelut:

lemma CLIX *De fructibus* **P**	*De fructbus* **P**[2])
c. I, 6	*ortus* **P** (ut uidetur)
10, 2 *matellionem* **P**	*matelionem* **V**
3	*forpicis duas* **P**
11, 2	*iugu plostrariū* **P**[3])
13, 1 *urceum Aheum* **P**	*urceum aheeum* **P**[4])
19, 1 *quēque* **P**	*quīīque* **P** ut uidetur
21, 5 (post. loco) *cupam* **P**	*cupp-* **V**
41, 2 *proacuito* **P**	*proacuto* **P**

illacc suouitarilia in marginibus scripsit, proinde quasi tali adnotatione, quam ipso in codice inuenire potuit Politianus (uid. supra, p. LV sq. atque cf. quae adnotauit Victorius ad c. 141, 1: '*Suouitaurilia* semper in optimo exemplari') monere uellet uerba praue intus partita (*illac es uouitaurilia*) ita emendanda.

1) uid. infra, p. LXXXII, adn. 2.

2) in uocabulo *Fructus*, quod erat in editione Meruliana, Politianus, praepositione *De* praeposita, litteras *-us* nouissimas deleuit ac supra eas *-bus* non *-ibus* neglegenter scripsit.

3) nouissimam syllabam in *iuga plostraria* (sic enim ediderat Merula) correxit e Florentino Politianus, qui *plostraria* in *plostrariū* recte commutauit, at supra *a* uocis *iuga* tantummodo *u* (non *ū*) scripsit.

4) *aeneum* Merula: quod ut in *ahe(neum)* uerteret, Politianus sub diphthongum lineolam illam deletilem duxit, ita tamen ut in propinquum *n* calamus scriptorius laberetur.

60		*singula iniuga* **P**
93		*circunfundito* **V**
134, 1		*facias* **V**
142, 1	*Vilici* **P**	*ullici* **P**[1])
156, 6		*Aqua tum* **P**
157, 5		*facet* **V**

Igitur intente si inspexeris studioseque quae Politianus e Marciano adnotauit, plura inuenies testimonia quae apud Keilium Goetziumque dissonum habentia habitum non modo ab Victori editione sed etiam ab exstantibus codicibus manuscriptis, et illi re uera congruunt et hisce. edentibus enim Catonis librum fit hoc perspicuum, codices, qui exstant quique cum Marciano sunt stricto uinculo colligati, saepissime cum Politiani adnotationibus conuenire, ab isdem tamen nonnumquam discrepare Victorioque congruere. qua re est operae pretium, ante quam de codicibus agamus qui ad nos peruenerunt, breuiter considerare quae intercedat ratio inter Politiani Victorique de Florentini scriptura testimonia.

* * *

Lectiones quas Florentino peculiares Politianus in editione Meruliana adnotauit cum illis plerumque consonant quas Victorius in Explicationibus, a. 1542 Lugduni[2]) (ut supra diximus) editis apud Sebastianum Gryphium[3]), paucas testatus est; potest tamen aliquando discrepantia quaedam inter has deprehendi et illas, quam insequens denuntiat index:

1) *u Illici* impresserat Nicolaus Jenson, Merulianae editionis typotheta, interuallum scilicet intericiens quod initio capitis et in manuscriptis et in impressis antiquis solet inter primam reliquasque litteras. ut e Marciano scripturam redderet *uilici*, *I* litteram in prima syllaba Politianus expunxit, quae grandior pro *l* facili negotio legi potest.

2) in editione a. 1543 Parisiis impressa (uid. adn. 3) nihil noui offendi nisi aliquod mendum (utputa ad c. 83 *idinum tuas* pro *i. uas*).

3) frustra Florentiae Victori editionis exemplar inquisiui, quod, a. 1543 ab Roberto Stephano Parisiis iterum editum atque 'cum notis P. Victorii autographis' nota '2. C. VI. 37' insignitum,

	POLIT.	VICT.
c. 2, 3; 5, 8	*stercilinium*	*stercilinum*
7, 4	*dies II*	*dies V*
11, 5	*corcubulas*[1])	*corbulas*
12	*melipontis*	*melipontos* (ut uidetur)
14, 2	*togalis*	*iogales*
14, 5	*maniprecium*	*manipretium*
18, 1	*contra ora*	*contrarora*
37, 5	*fascinam*	*fiscinam*
39, 1	(*sulphuris* V)	*sulpuris*[2])
40, 4	*dempsto*	*depsto*
45, 3	*utusstet*	*utis stet*
69, 2	(*cuminum pridie* V)	*cummim pridie*
	cummini indito	*cummim indito*
	cummini p. IIII	*cummim p. IIII*
90	*cum far insipiat*	*tum far insipiat*
95, 2	(*nascetur* V)	*nascebit* et in marg. *nocebit*
104, 2	(*solstitium* bis V)	*solistitium* (bis, ut uidetur)
112, 3	*de scopio* et in marg. *descōpione*	*de scopio* et in marg. *de scopione*
133, 3	*quasilum*	*quasillum*
142	*dominus praeceps*	*domino praeceps*
146, 1	*iri pri primae*	*iri primae*[3])
156, 1	*aliqua* $\overline{U}$ *folia*	*aliqua quinque folia*

in bibliotheca Marucelliana exstare Franciscus Niccolai (Pietro Vettori, Firenze 1912, 224) praesumenter et inexplicabiliter adseuerat. ego quidem Annae Lenzuni, quae Marucellianae praeest, multas habeo grates atque ago, quia comiter ac benigne me certiorem fecit, notaculo '2. C. VI. 37' olim re uera Victori exemplar distinctum esse, quod tamen, typis a. 1549 Lugduni exscriptum apud Seb. Gryphium atque nouicia nota '6. J. VI. 101' hodie signatum, cuiuscumque generis et ab quiuis homine scriptas desiderat adnotationes.

1) uid. supra, p. LV.

2) Vict., ad loc.: 'testari etiam uolumus et hic, et ubicunque in peruetusto hoc uolumine ea uox est, *Sulpur*, semper scriptum esse.'

3) in Explicationibus haec re uera scripsit Victorius: '*Domini dato iri &c.* Hunc locum ut in omnibus manu scriptis inueni, ita dedi [sc. in editione, in qua *iri primae*, non *iri pri primae*, legitur]: est autem manifesto mendosus, quare notam ad eum adposui.'

5	*usque donec*[1])	*usque doc ec*
6	(*edat* post. loco V)	*edit*
157, 16	*de petiginis*	*de petigenis*
160	*pe* ^{t}*res*	*pe*^{t} *es*

Hasce discrepantias ubi perpenderis, uter ueriora e Marciano expresserit, Politianus an Victorius, iure aliquando in medio relinquere poteris.

Tam asseueranter contendit Victorius 'in antiquissimo codice Catonis ac Varronis semper *stercilinum*' exstare, ut cogitare audeas Politianum, qui in cc. 2, 3 et 5, 8 *stercilinium* e Meruliano *sterquilinium* reddidit, inconsiderate *-nium* non correxisse[2]), non aliter atque in c. 14, 5, in quo e Meruliano *inani precium* tantummodo *inani* in *mani* ille mutauit, uocis *precium* nulla ducta ratione. itidem Victorio de scriptura in Florentino exstanti *dies V* (c. 7, 4) assentiaris, quamuis mihi cogitare placeat dierum numerum, quem Cato ad orcites confriandas statuit, nota *.u.* in uetusto exemplari significatum esse, quam Victorius, Varrone auctore[3]), pro *V* recte interpretatus est, pro *II* perperam Politianus[4]). item quantum scripturae *dominus praeceps* praestet lectio in c. 142 difficilior *domino praeceps*[5]), utpote quae non modo Victori testimonio innita-

1) uid. tamen supra, p. LVI.

2) ter apud Catonem (cc. 2, 3; 5, 8; 39, 1), apud Varronem quater (1, 13, 4 bis. 38, 3; 3, 9, 14; [in indice libri I semel]) uox occurrit *stercilinum*, quae in editione Meruliana usquequaque *sterquilinium* sonat. syllaba *-qui-* in *-ci-* mutata atque uocali *i* (in *-nium*) deleta, Politianus apud Varronem ubique [in indice tamen *sterquilinum* e Florentino transscripsit], apud Catonem uno loco (39, 1) tantummodo e Florentino effecit *stercilinum*. quod si Victori uerba ad c. 2, 3 'in antiquissimo codice, Catonis ... semper *Stercilinum* scriptum est' aeque sunt habenda atque illa quae de scriptura *medipontos* idem Victorius fecit (uid. infra, p. LXX), est cur dubitemus an re uera 'semper' Florentini librarius *stercilinum* apud Catonem scripserit.

3) Varr. 1, 60: *de oliuitate oleas esui optime condi scribit Cato orcites et puseas ... orcites nigras, sale si sint confricatae dies quinque* eqs.

4) uid. adn. crit. ad loc.

5) hoc mihi persuasum olim habui, curtam apud Catonem sententiam *quae domino praeceps*, quam uerba subsecuntur *ea omnia quae in fundo fieri oportet quaeque emi pararique oportet, quo modo-*

tur sed etiam in codicibus exstet qui ad nos peruenerunt, nemo est quin uideat: qua re opinari licet Politianum, in emendanda e Florentino Meruliana scriptura *dominus praecipit*, oculos a *dominus* distraxisse in *praecipit* defixos.

Econtra fidem Politiano addideris, qui *corcubulas* (c. 11, 5) certo neque finxit neque commentus est[1]); eique credideris qui locum illum desperatum capitis 146, 1 *iri pri primae* maiore, ut par est, diligentia e Marciano transcripsit uel alteram a Marciani librario adnotatam lectionem in c. 112, 3 *descōpione* uel scripturam *pe* $\overset{t}{r}$*es* in cantione capitis 160.

Neque diiudicari potest utra anteferenda sit in c. 157, 16 lectio, *dene petiginis* an *de petigenis*, quamuis primo obtutu Politiani testimonium (*de petiginis*) ad uerum propius uideatur, quippe quod et Pliniano excerpto congruat (n. h. 20, 83 *impetigines*) et cum codicibus faciat quotquot habemus. nam in eligendo inter Politiani Victorique testimonia si probabilitatem quandam assequi uelis, haud parui uidentur ponderis exstantes libri manuscripti, utpote qui cum Florentino sint artissimo uinculo coniuncti. igitur eo minus eris incertus utrius sint probanda, Politiani an Victori, testimonia, quo propiorem hunc uel illum deprehendas ad exstantium librorum scripturam.

Ita, quamuis Victorio fidem demere periculosum uideatur atque temerarium, quippe qui tam certum sese ostentet in tribuenda Florentino lectione *contrarora* (c. 18, 1), ut, de hac disserens uoce (quam 'peruersam'

---

que cibaria, uestimenta familiae dari oportet, eadem uti curet faciatque moneo, nil aliud ualere nisi 'quae uilicus domino [dat. (an abl.?)] praecipit [= praecipere potest], scilicet ea omnia quae in fundo fieri oportet eqs., eadem uti curet faciatque moneo'. itaque uocabulum *praeceps* idem cum putarem sibi uelle quod uerbum *praecipere* (= 'antecapere', 'praeoccupare' [cf. etiam CGL V 474, 50: 'pr⟨a⟩ecepisti: ante ini⟨ti⟩asti), ad analogiam fictum habui uocabuli *princeps*, quasi Cato uilicum faceret ea omnia praeoccupantem quae absente domino fieri possunt.

1) uid. supra, p. LV, et adn. crit. ad loc.

dicit), se *contra ora* e coniectura scripsisse adfirmet[1]) sibique precetur ut lectionem 'ueriorem e priscis uestigiis' educere uiri possint docti, tamen in incerto scripturam illam habeas licet, cuius nullum in codicibus exstantibus deprehenditur uestigium. manuscripto Parisino (saec. XII–XIII) freti atque plerisque libris recentioribus, Victorio fidem addere maluerunt Keil et Goetz, qui *utis stet* (c. 45, 2) in Florentino uetusto fuisse tradit, quam Politiano, qui in eodem exemplario *utusstet* se uidisse testificatur. at et codicis Laur. 30,10 (saec. XIV) scriptura *ictus stet* Politiani testimonio palam suffragatur et lectio ipsa *utusstet*[2]), plus admirationis cum moueat quam scriptura *utisstet* – quae manum olere uidetur quodammodo emendantem (*ut is stet*) –, difficilior quin uideatur nulla est dubitatio. an ter (toties enim uocabulum in c. 69 occurrit) Florentini librarius *cummim* scripserit est quod dubites, quandoquidem et Victori adnotatio non omnino perspicua uideri potest[3]) et codex Parisinus, in quo *cummini indito* legitur, testimonium Politiani, uno quamuis solo loco, sustentat. Neque sunt praetereunda, tum in Explicationibus tum in editione quam Catonis ueterum librorum ope curauit Victorius, menda nonnulla, de quibus uel typothetam arguas uel Victori ipsius in transcribendo indiligentiam.

---

1) attamen *contra ora* tum in cod. Laur. 30, 10 (saec. XIV) legitur, quem Victorio ad manum fuisse certo scimus (uid. infra, p. LXXII; CII), tum in reliquis omnibus qui adseruantur libris.

2) de qua uid. supra, p. XLVIII.

3) '*Cummim pridie in aquam infundito*. Haec est antiqua, et uera lectio, cum excusi omnes libri antea mendose *Cuminum*, haberent, et hic, et duobus alijs huius capitis locis. Nonius etiam cum de indiscretis generibus dissereret, docuit [p. 298 L.] ueteres et neutro, et muliebri genere hoc nomen usurpasse.' ista uerba ambiguitatis caligo quaedam, ni fallor, includit: nam quod spectat ad alios duos locos, hoc ego crediderim, Victorium potius in libros excusos (ubi lectionem *catinum* ille inuenerat) animum atque oculos intendisse quam in codices manuscriptos.

Nam ne in typographicis insistam mendis[1]), nonnullos locos Explicationum sat habeo memorare, qui parum diligentem Victorium monstrant. ita in adn. ad c. 10, 2 aut indiligentem sese exhibuisse aut secum ipsum pugnantem dixeris Victorium, qui haec scripsit: '*Infidibula II.* Ita in manu scriptis libris uno consensu scriptum inueni quemadmodum sequenti capite iterum [i. e. c. 11, 2], ac tertio, ubi exponit, in cella olearia quae opus sunt [i. e. c. 13, 2]: quare eorum fidem, et auctoritatem secutus, ita in meo scribi uolui. Nec tamen me latet, alios Infundibulum hoc, siue instrumentum, siue uas appellasse: et à fundendo etymon habere tradidisse.' si tamen editionem euolues, *infidibula* quidem in c.10, 2 et in c. 11, 2 deprehendes, at in c. 13, 2 praeter exspectationem *infundibula* scripsisse Victorium inuenies. qui pro lectione *iogalis* (quam haud dubie in c. 14, 2 Marciani librarius scripserat) *iogales* ex illo uetusto exemplari cum exprimeret in adn. ad c. 10, 5 minime accuratum sese praestitit. item, si Explicationes quoque tangere uolumus quas in Varronis Rerum rusticarum fecit libros, Victori indiligentia in illa manifestatur adnotatione ad 2, 1, 2, in qua, nihilum se addidisse quamuis profiteretur aut distorsisse in adducenda ueteri scriptura, haec perperam protulit, *Qui estis pecuriathietae*, quae Florentini librarius ita scripserat, *Qui estis epirotici pecuariathietae* (uel *pecuaria thietae*). quid? nonne, ut aliud exemplum afferam ex hisce in Varronem Victori Explicationibus, Politiano maiorem adiunxeris fidem, qui *tenetiam* (2, 2, 16) in Marciano legit, quam Victorio, qui *tenentiam*, ad id Victori ipsius uerbis adductus, qui de correctione *tenellam* cum cogitaret, 'non incommode' dictionem illam emendari posse ait? sed ad Catonem reuertamur[2]).

---

1) in editione (ut puta: c. 11, 4 *rutra quaeuor*; 37, 5 *componeto*; 96, 1 *detunderis*; 102 *caetabulum*; 131 *rudeata*; 136 *medio diuidet*; 148, 2 *ad mensum erit*, al.) et in Explicationibus (e. g., ad c. 157, 2 *prisca* pro *crispa*). atque animaduertas uelim discrepantiam, quae aliquando inter editionem deprehenditur, a. 1541 (ut uidimus) prolatam, et lemmata quae in Explicationibus, insequenti anno publicatis, ad istam editionem lectorem remittunt, ut e numeris quoque elucet, qui, in margine Explicationum ad singula lemmata adpositi, editionis ipsius paginarum reddunt numeros. uerum miramur si, e. g., de nonnullis cantionis uerbis contra luxata membra (c. 160) in Explicationibus cum dissereret, huiusmodi lemma Victorius posuit: *Dic una pariter usque dum coeant*, quasi igitur *dic una pariter* (quae lectio in libris inuenitur excusis) in sua editione ille scripsisset, quae re uera lectionem praebet *dissunapiter*.

2) in adn. ad c. 37, 3 'apud Varronem' pro 'apud Catonem' manifesto errore scripsit Victorius.

Nihil ad c. 12 adnotauit Victorius de scriptura *medipontos*[1]). sed ad c. 68, ubi uox ista tertio occurrit (tribus enim in capitibus [3, 5; 12; 68] hoc funis genus memorat Cato), haec in Explicationibus leguntur: '*Medipontos, & c.* Hic in optimo exemplari, *Melipontos*, quemadmodum antea, ubi docuit in torculario quae opus sunt [i. e. in c. 12]'. igitur, si et Politiani in editione Meruliana silentium et Victori uerba faciunt ut Florentini librarium putemus *melipontos*[2]) in c. 68 scripsisse, at uerba ipsa Victori dubitationem afferre possunt an in c. 12 quoque *melipontos* librarius ille exarauerit. est tamen opinatu difficilius Politianum tam fuisse indiligentem ut in c. 12 ex scriptura meruliana *meliponthis* non lectionem *melipontos* sed, deleta solummodo *h* littera, scripturam efficeret *melipontis*, illam igitur ipsam reddens quam exstantes libri praebent manuscripti.

Mirum est quantum ipse sibi Victorius in adnotatione ad c. 53 discrepare uideatur: in qua, de locutione *edunt* cum disceptaret, haec prodidit: '*Per uer cum arabunt*. Hunc locum ex antiquis libris summa cum fide restitui: in quo illud inusitatum, quod *Edunt*, pro *Edant*, posuit. Idem etiam bis fecit in capite, quo braßicam Pythagoream laudat [c. 157, 9. 10]. et alijs etiam locis, quemadmodum post[3]) indicabo: quare id negligentia librarij

---

1) uocem istam ex urbe quadam (Metaponto?) originem duxisse haesitabundus olim conieci; aliter Jüngst-Thielscher, Bonn Jahrb. 154, 1954, 85sq. praeterea uid. hic infra, adn. 2. — uid. etiam Keller, Lat. Volksetym., Leipzig 1891, 92; 159.

2) litterarum *d* et *l* uacillatio, quae in ista aduertitur uoce (modo ad II modo ad III, ut uidetur, ordinem declinata), alia uocabula in memoriam redigit, utputa, e. g., *medica* (gallina) et *melica* (uid. Varr., r. r. 3, 9, 19 [= Colum. 8, 2, 4]), *impedimenta* et *impelimenta* (uid. Paul. Fest. 96,9 L), in quibus littera *l* sabinam reddit pronunciationem. uid. in uniuersum M. G. Bruno, I Sabini e la loro lingua, Bologna 1969, 16sqq. (quae tamen de uoce *medipontus* et *melip-* tacet).

3) cf. adn. ad c. 156, 6: '*Quod uolet postea cibi edit & c.* Hic etiam bis *Edit*, pro *Edat*, posuisse Cato uidetur, quemadmodum antea [sc. ad c. 53] admonuimus: sequenti etiam capite [c. 157], idem bis [§§ 9, 10] facit, quare totiens in fidelißimis codicibus a nobis inuentam locutionem, quamuis inusitatam, non debuimus repudiare.' cf.

commissum non putaui: sed hanc fuisse loquendi consuetudinem M. Catonis, prisci hominis, credidi.' talis uidetur haec oratio ut Victorium dixeris in c. 53 non *edunt* ex antiquis eruisse libris, sed aeque atque in capitibus de brassica *edint*; quin tamen *edunt* uetusti exemplaris librarius in c. 53 scripsisset [1]) minime dubites, si Victori ipsius (qui *edunt* in editione quoque protulit) prima illius adnotationis uerba tenueris Politianumque non neglexeris Merulae scripturam *edant* in *edunt* e Florentino mutantem.

Quae cum ita sint, quamuis alliciat et attrahat [2]) uulgaris illa forma *nascebit* (cf. c. 151, 4 *germen nascere*), quam in adnotatione ad c. 95, 2 Victorius prodidit quasi a Marciano pro *nascetur* traditam, suspicionem tamen praebet illum mentis euagatione ita scripsisse exitu *-ebit* captum in lectione *nocebit*, quam in Florentini marginibus contra *nascetur* scriptum inuenerat; eoque magis haesitaueris adnotatione ipsa attente perlecta: '*Conuoluolus non nascebit.* Nihil discrepant hic manu scripti codices ab excusis: nisi quod in margine optimi exemplaris eadem manu, qua liber exaratus est, pro *Nascebit*, *Nocebit*,

---

etiam quae in libro VI (c. 19) notauit Variarum lectionum: 'si fidem sequimur antiquorum exemplariorum, Horatius ueterem consuetudinem amauit in ode, qua criminatur allium [epod. 3, 3] . . . *Edit cicutis allium nocentius*, non *Edat* . . . ita autem M. quoque Cato locutus est in libro De re rustica: quod olim [sc. in Explicationibus] admonui, cum multas maculas auxilio uetustorum librorum inde elui, ac nitidiorem priscum illum scriptorem formis excudendum curaui. hoc enim ille semper seruauit, ut cum laudes brassicae explicans ... item multis aliis locis.'

1) uid. infra, p. CXXVI, adn. 2.

2) Amatucci, Boll. filol. cl. 30, 1924, 41: 'Io inclinerei molto a ritenere come possibile un'originaria forma di futuro, arcaica e popolare, *nascebit*, che leggevasi (di questo non dubito, comunque la cosa si voglia spiegare) nel vetustissimus codex e fu sostituita altrove, risolutamente, con *nascetur* o, con maggiore cautela paleografica, corretta in *nocebit* . . . (42) Escluso, dunque, come io ritengo si debba fare assolutamente, che il *nascebit* sia un errore del Vettori, resta a concludere che il testo, dal quale era stato trascritto il Marciano, aveva *nascebit* e il ms., col quale questo luogo era stato dallo stesso scriba emendato, *nocebit*.'

emendatum est. at cum libri quotquot exstant seu manuscripti seu excusi non *nascebit* praebent sed *nascetur*, tum lemma ipsum *Conuoluolus non nascebit*, quo non iniuria perduci possis ut credas scripturam *nascebit* in sua editione Victorium adhibuisse (lemmata enim, quibus adnotationes succedunt, lectiones reddunt atque repetunt, quas in editione deprehendis [1])), palam monet scripturam *nocebit* in Marciani margine adnotatam eo usque in Victori mente bombilare, ut illius manus, quae recte *nascetur* in editione scripserat, in Explicationibus intelligibili lapsu *nascebit* exararet.

Ceterum, uti in adnotanda e. g. Florentini codicis (Laur. 51, 10, saec. XI) scriptura, in quo Varronis adseruantur De lingua latina libri, ita et in Catonis lectionibus nonnullis referendis, quae in cod. Laurentiano 30, 10 (saec. XIV) exstant, Victorium deprehendi parum diligentem, ut illi negauerim quod ipse sibi precabatur, si non doctrinam, fidem suam probari. ita de lectione cum dissereret *pabulũm* (c. 7, 3) quam in codice 'non tam bono neque tam antiquo' inuenerat pro mendosa ceterorum *fabulim*, aperte ostendit Victorius Laurentianum se uidisse; at mox ad c. 10, 5, in quo libri omnes *iogalem* habent, preater istum Laurentianum qui *togalem* exhibet, priorem tantummodo memorauit scripturam quippe quae 'in cunctis manuscriptis' exstaret. quid? nonne sibi ipsi coniectanti uindicauit lectionem *id in unum uas* (c. 83) atque *uitis* (c. 37, 3), quae in eodem Laurentiano inueniuntur ambae, ceteris libris corruptelas praebentibus *idinum uas* et *uiti* [2])?

---

1) uid. supra, p. LXIX, adn. 1.

2) ita in adn. ad Varr. 1, 31, 5 scripturam *gerat* in excusis testatur Victorius, 'in manuscriptis omnibus *Genat*, recte'. at Laur. 30, 10, qui Victorio in Varronis quoque libris expurgandis praesto fuit, *gerat* praebet. econtra ad Varr. 1, 48, 1 haec adnotauit Victorius: '... Vetustißimum exemplar, *Multilata*: Vna detracta litera *Mutilata* emendaui ... Sed hanc ipsam [scil. lectionem], quam me restituisse dico, in Gallicano etiam codice [i. e. in cod. Laur. 30, 10] sine ullo uitio inueni.'

Igitur ad restituendas Florentini codicis lectiones si Victori auxiliis tantummodo niti uelis, frustra operam consumas. qui, uti in Explicationibus non multa e Marciano adnotauit quae interdum dubiam fidem praebere uidentur, ita in editione, quamquam pluries ueterem adhibuit scripturam, pluries tamen coniecturis manus porrexit lubidineque mutandi captus permulta mutauit quae re uera emendatione haudquaquam egent.

* * *

Supra quae disputauimus, quamuis nos moueant ut aliquando Victorio minorem tribuamus fidem quam uiri docti putauerunt, docent tamen Florentini scripturam nonnumquam indiligenter Politianum expressisse. cuius mirae in uetusto exemplari explorando accurationi, qua e. g. in capitis 2 lemmate transcribendo scripturam iterauit ut uocem *auctionem* maiusculis redderet litteris quam ante minutioribus dederat, uel in loco illo desperato capitis 157 (§ 11) sic dedita opera scripsit *umseri*, ut et *uniseri* legi possit, quasi litterae *m* ductum repraesentare uellet ipsum in exemplari adhibitum; non minus mira respondet aliquando indiligentia. ne de locis agam quibus uel typographica menda Politianus manifestaria neglegentia non emendauit[1]) uel recte impressa turbulenta corrupit correctione[2]), in alios insistas uelim qui maioris uidentur momenti cum ad Florentini scripturam genuinam cognoscendam tum ad inquirendum quo modo et deperditus et qui exstant inter se cohaereant codices. nam si e locis quos Politianus silentio praeteriit inferendum esset talem extitisse in Marciano scripturam qualem in editione Meruliana usque quaque inemendatam inuenies, uetusto exemplari recentiora uiderentur quodammodo anteponenda, utpote locis illis probabiliorem

---

1) ita haec inemendata reliquit: *secuudum* (c. 61), *supletoque* (c. 88, 1), *uiuo* (c. 141, 2), *facet* (c. 157, 5: uid. supra, p. LXIII sq.).
2) e. g. in c. 99, in quo *indit'us* (i. e. *inditurus*) sic, *indit'^{ur}us* correxit (i. e. *inditururus*!).

praebentia scripturam. quod quo inlustrius pateat, nonnullis omissis leuioris momenti, hisce inter **V** et ω[1]) aduertito discrepantiis:

	V	ω
summ.	XLIV *calcarea*	*calcaria*
	LXXXII *medicamentum*	*medicamentum detur*
	CXXVIII *uarium*	*uarium q. a. m. ex oliuis facias*
	CLIX *qua lege uenierit*	*uendundis*
(post lemma CLXV)	*Quot brassicae genera et quae natura*	om.
c. 2, 5	*quae*	*quaue* (uel *quaeue*)
7	*seruum senem morbosum*	*seruum senem seruum morbosum*
5, 8	*cōmunito*	*comminuito*
10, 2	*quinquagenariam*	*urnam quinquagenariam*
5	*secernat*	*succernat*
11, 3	*solium unum labrum*	*labrum*
5	*forcipes*	*forpices*
12	*serias*	*senas*
	quis	*qui*
17, 1	*maturum semen*	*semen maturum*
2	*incipiunt matura esse*	*primum incipiunt matur(a)e esse*
18, 3	*ab stipite*	*a stipite*
9	*suscudes*[2])	*subscudes*
20, 2	*lassi*	*laxi*
	fundito	*indito*

---

1) siglo ω consensum indico codicum exstantium quos adhibui (uid. infra, p. CXXVIII). at in scriptura adnotanda, quam **V** et **F**[p] a manuscriptis dissonam in summario praebent, neque **m** consideraui neque **a** neque **d**. caret enim summario codex **m** (non amputationis causa, de qua uid. infra, p. CI, adn. 5), item codex **a**. quod ad **d** attinet, scito hunc codicem in unum rubricas congerendo quae ante singula capita praepositae exstant, summarium tradidisse compositicium.

2) aliquid a Politiano supra *suscudes* adnotatum offendi, quod ut interpretarer omni ope sum enisus, at frustra.

	V	ω
22, 1	*molarium*	*miliarium*
4	*eos aduexeris*	*eos cum aduexeris*
24	*apicii*	*apici(i) uini* (*apici^{i}um* **A**)
27	*ocymum*	*ocinum*
	ablaqueato	*adlaqueato*
28, 1	*seras*	*feras*
2	*digitos quinque*[1])	*digitos V*
30	*hiems*	*hiemis* (uel *hy-*)
31, 2	*quae semen*	*quae materies semen*
33, 1	*uorsum*	*uersum*
3	*ab sulcis*	*a sulcis*
37, 2	*uitia*	*uicia*
	et cicutam	*cicutam*
3	*posueras*	*posueris*
39, 1	*et sulphuris*	*sulpuris* (uel *sulf-* uel *sulph-*)
2	*possit fieri*	*fieri possit*
41, 1	*et malorum*	*ac malorum*
45, 1	*oleaginas*	*oleagineas*
46 (rubr.)	*quo fiat modo*	*quo modo fiat*
48, 2	*coeperint*	*inceperint*
52, 2	*si uero calix*	*siue calix*
	in scrobe posito	*in scrobem ponito*
54, 1	*uinaciorum*	*uinaceorum*
66, 1	*premerint*	*prement*
71	*aegrotauerit*	*aegrotare ceperit*
	uase	*uaso*
89	*parierīt*	*parient*
90	*cum far*	*tum far*
	deponito	*depsito*
	des escam temperatam	*dato escam temperato*
95, 2	*sub caput*	*circum caput*
96, 2	*facies*	*facito*

1) magnam cum Politianus adhibuisset curam in numerorum notis e Marciano conscribendis, quos per litteras saepissime Merula explicuerat, hanc exempli gratia in discrepantiarum indice recepi.

		V	ω
100	(rubr.)	*sic*	*si*
106,	1	*ouum gallinae*	*ouum gallinaceum*
	2	*omnia ea*	*ea omnia*
110		*dum*	*usque dum*
113,	1	*ponito in dolia*	*ponito in dolio*
	2	*amphoras operito*	*et amphoras operito*
114,	2	*nec commisceas*	*ne commisceas*
117		*in aqua*	*in aquam*
		in modum	*in modium*
126		*consistat*	*consistet*
127,	2	*drachmam conterito*	*drachmam unam conterito*
129		*facies*	*facito*
		pluet	*pluerit*
133,	3	*eum quassilum*	*eum quasillum*
134,	1	*messem*	*messim*
135,	3	*subductarius*	*subductarios*
	5	*p. XL, semifunium*	*p. LX, semifunium*
143,	1	*propter eā*	*pro ea*
144,	5	*acceperunt*	*acceperint*
147		*quod uolet* (ut uidetur)	*quid uolet*
150	(rubr.)	*uenierit*	*ueneat*
151,	3	*uti cauae aquam*	*uti aquam*
	4	*facies*	*facito*
		quam tenerrimis	*qaum tenerrimis herbis*
154		*hoc in culleum*	*in culleum*
155	(rubr.)	*de agro aquam*	*aquam de agro*
156,	5	*brassicam in aquam*	*brassica in aqua*
	6	*esse edat*	*esse edit*
157,	5	*huiusmodi*	*huiuscemodi*
		nec	*neque*
	7	*facit*	*faciet*
		unde	*inde*
	8	*si uteris*	*sic uteris* (*sic uterus* **A**)
	9	*paulum*	*paululum*
	10	*item*	*idem*
	11	*ea mulier*	*eo mulier*
158,	1	*pone*	*addito*
	2	*coquito*	*decoquito* (uel *dequo-*)

Dissonam hanc scripturam modo Florentino ab *ω* dissidenti attribueris saepius Politiano quandoque dormitanti: cuius culpam, si cum Chremete illo Terentiano humani nil abs te alienum putare uelis, excusatione tegas licet. est enim aliquando factum ut ille, de collocatione uerborum restituenda sollicitus, uerba uel ipsa uel proxima uicina non corrigeret; aliquando ut oculis properantibus delere omitteret alio euidenter transferenda; uel, in legendo nonnumquam fortasse transiliens, quaedam praeteriret ab exemplari uetusto abhorrentia. nec deest dubitatio an ipse librari manum recte interpretatus sit, ut e. g. *ablaqueato* (c. 27) falso legeret quod *adl-* in Florentino esse potuit, et *serias* (c. 12) pro *senas* et *uitia* (c. 37, 2) pro *uicia* et *seras* (c. 28, 1) pro *feras*, et *cum* pro *tum* (c. 90) et *cōmunito* (c. 5, 8) pro *cōminuito*. attamen haud facile diiudicaueris utra uetusto in codice re uera extiterit lectio, *parierint* an *parient* (c. 89), item *premerint* an *prement* (c. 66), quando quidem Politianus non modo et *parierint* et *premerint* in editione Meruliana non emendauit, sed ambas in eiusdem marginibus adnotauit, quasi animaduertere dedita opera uellet formas illas anomalas. nam hoc quoque fuit Politiano curae, ut editionis Merulianae margines plurimis referciret adnotationibus, in quibus, modo atramento usus modo rubrica, nonnumquam uerborum notauit structuram anomalam (e. g. ad c. 149, 1: 'Frui cum ac(cusa)t(iu)o'), interdum rerum indicauit argumenta, saepissime uocabula transcripsit memorabilia. qua in re talem ille prae se habuisse Catonis librum uidetur qualem in uetusto inuenerat codice: exceptis enim nonnullis, quae uel Merulae repetunt manum uel codicis Laurentiani 30, 10 lectiones praebent uel neque Merulae congruunt scripturae neque librorum manuscriptorum, nihil habent differitatis tum quas e Florentino Politianus in impresso exemplari adnotauit lectiones tum illae quas in eiusdem marginibus idem denuo rettulit.

Ad rem ut redeam, haud sane est quod *parient* sine dubio potiorem habeamus scripturam, utpote ab *ω* traditam, quam *parierint*: hanc enim potuit Florentinus ha-

bere[1]) quam reliqui deinde libri in *parient* commutarunt, ut puta in libro V De lingua latina Varronis (10, 59) pro *parire* in Enniano uersu (ann. 3/10 V.) *parere* exhibent cum Florentino praestantissimo 51, 10 codices omnes. neque certo adfirmaueris *prement* in Marciano fuisse scripturam Politianumque igitur errasse, qui *premerint* in editione Meruliana et inemendatum reliquisset et in marginibus adnotasset[2]). neque planior, quam praebet in c. 22, 4 scriptura *eos cum aduexeris* quin emendatoris lima poliri potuerit nulla est dubitatio; quae enim difficilior exstat in V lectio *eos aduexeris*, c. 23, 4 memoriam mihi affert, in quo uerba *indideris defrutum* neque *ubi* particula neque *si* egere uidentur[3]).

Haereas igitur licet *premerint*ne an *prement*, *parierint*ne an *parient*, *aduexeris*ne an *cum aduexeris* in uetusto fuerit codice; uere autem ad plerasque quod attinet reliquas discrepantias, genuinam scripturam restituere si uolumus, ad ω plus semel confugiamus licet. quid? nonne — praecipua ut memorem — *uaso* (c. 71) in sermonem uulgarem aptius quadrare uidetur quam *uase*? nonne uocis *seruum* iteratio in c. 2, 7 scribendi usui Catoniano propior? nonne quam *messem* (c. 134, 1) potior *messim*, *edit* (c. 156, 6) quam *edat*? nulla potest ratione accipi in c. 90 scriptura *deponito*, quae tum sensu caret tum insequenti *depses* minime respondet; neque potest in c. 10, 2 uocabulum *quinquagenariam* per se ipsum stare. item in uineae instrumentorum indice (c. 11) quae Merula ediderat *semodium unum: solium unum: labrum uinarium*

---

1) hoc scito, *l-rient*, i. e. *uel parient* (quae est Laurentiani lectio), supra *parierint* scripsisse Politianum, qui in marginibus *parierint* adnotauerat. uid. etiam hic infra, adn. 2.

2) nam *-ment* supra *premerint* ex Laurentiano adnotauit Politianus (in **m** enim *prement* legitur), at *Premerint* in margine scripsit. animaduertas hac in re uelim Laurentiani scribam signum supra *prement* posuisse, quod quid sibi uelit nescio.

3) exemplis quae Iosephus Svennung (Eranos 32, 1934, 14sq.) attulit, Hygini gromatici mihi liceat hunc addere locum (met. castr. 20): *quinque legiones fuerint, XL pedes latitudinis accipere debebit*, ubi codex melioris notae Arcerianus (saec. VI) *si* ante *quinque* omittit, addunt codices saec. XVI conscripti.

unum: labrum e. q. s. (c. 11, 3) Politianus ita e Marciano correxit ut, uerbis *semodium unum* leuissima emendatione in *semodium I* mutatis, *solium unum* incaute relinqueret, subinde tamen, pro *labrum uinarium unum* cum *labrum eluacrum I* scripsisset, *solium* loco suo adderet, quasi igitur esset *semodium I: solium unum: labrum eluacrum I: solium: labrum* e. q. s.

Est re uera difficile ad credendum Florentino in codice talem fuisse capitis 11, 3 contextum qualem Politiana manus in exemplari Meruliano statuit. neque, mea quidem sententia, in illis quas attigimus lectionibus (*uaso*, cett.), item in illis quas supra (pp. LXXIV-LXXVI) memoratas breuitatis causa inspicere intermisimus, Politiani silentium facit ut nos incunctanter atque indubitate opinemur Merulam consonanter cum scriba Florentini concordare.

* * *

Monstrant igitur loci quos supra ἀνθολογοῦντες paucos excussimus, Politiani oculos Meruliana editione aliquando mirandum in modum deceptos. at mirum est quod Politianus, emendationes e Marciano dum affert, scripturam praebet aliquando a libris ω dissonam. quas quo commodius animaduertas emendationes, eas uti in exemplari excuso ita hic infra quasi phototypice effictas[1]) inuenies:

1) igitur notas ipsas quas Politianus in emendando usurpauit — lineam scilicet deletilem (uel suppositam uel uerba intersecantem) ad aliquid corrigendum uel delendum, uirgulas (∧) ad aliquid inserendum, notaculum (in margine plerumque iteratum) ·/ uel /. uel ·/. ad codicis scripturas significandas — hic expressas inuenies. exemplaris excusi scripturam litteris rectis dedi, obliquis in sinistra columella Florentini scripturam, in dextera manuscriptorum quos adhibui.

	P	ω
summ. IV	*Adolescentia*	*adulescentia*
XVI	*sunt*	*sint*
XXIV	Cuppa trapeti quo fabrefiat modo (*edifices* supra)	*Cupam quomodo* (*a*)*edifices*
XXV	*va* Quomodo faber trapetum accommodet *cat*	*Trapetum quomodo* (*a*)*edifices* (om. **A**, add. **A²**)
XXXVII	*seratur*	*c*(*a*)*edatur*
L	*fodias*	*facias*
LXXII	Funem [1]) quam longum esse oporteat	*Funem quam longam esse oporteat*
CIV	Conuoluulus (*o* supra)	*Inuoluolus*
CXXI	*quam*	*q. a. m.*
c. 2, 6	nolit ‸ imperet (*locari uelit ut* supra)	*locari uelit uti imperet*
5, 6	opsequito [2])	*obsequitor* (*-turo* **f**)
10, 2	tru/liū : scu/riscū unum (*l*, *t* supra)	*tru*(*l*)*lium scu*(*t*)*riscum*
11, 2	quod capiat cu/leos trigita (*l*, *·I·* supra)	*quod capit culleum I*
12	In torcularium (*o* supra)	*In torcularium*
14, 2	carnaria tria : orbem (*·III· Ahenea ·II·* supra)	*carnaria III orbem ahenea II*

1) lineola, quam super *F* induxit Politianus, totum dicit lemma e Marciano delendum; cf. etiam infra, p. LXXXIX.
2) in scriptura Meruliana *obsequito*, Politianus *b* in *p* ex Marciano mutauit ac postero tempore ex **m** *l tor* supra *-to* scripsit: uid. etiam supra, p. LIV, adn. 2.

	P	ω
15	cul/me/ pede uno (*o u n* ·*p*· *V* above)	*columen p. I* (uel *culmen p. unius*)
17, 2	*p sementim* tū primū p semē (·/· ·/· above)	*per sementim primum*
18, 2	pedibus sexdecī (·*XVI*· above)	*p. XVI*
5	pedum uigintiq̃ttuor (·*XXIIII* ·*S*· above)	*pedum XXIII S*
19, 2	pedum octo (·*VIII*· above)	*p. VIII* (*p. VIIII* c)
25	recentes (*g* above)	*regentis*
26 (rubr.)	Quod uindemia/ ~~facta~~ uasa/ ~~reponantur~~ (*V*, *ut*, *Torcula subligentur* above)	*Vindemia facta ut uasa torcula subligentur*
30	ficulneāq	*ficulnam* (uel *-neam*)
37, 1	quod uellitur/ salsum (*&q̄b* above)	*quod uellitur et quod salsum*
38, 3	luto∧ extrinsecus oblinito (*summamq* above)	*luto summam extrinsecus oblinito*
40, 3	quem acueris (*-rt* above)	*quem artiueris*

	P	ω
42	extraxeris [superscr. -iccau-]	*exicaueris*
43, 1	pedem unum [superscr. ·I·]	*p. I*
73	dato bubus ōibus ut bibāt	*dato bubus bibant omnibus*
85	oīa, bene pmisceto [superscr. una]	*omnia una permisceto bene*
87	ollā [superscr. au]	*aulam*
133, 3	aut quassilum[1])	*aut quassillum*
136	ptē. V ^ uēafro [superscr. parti, In]	*parti* (-*te* **A**) *quinta in uenafro*
141, 4	tibi illisce s/olitaurilibus lactentibus[2]) [superscr. u u]	*tibi in illisces* (*illis//* c) *uouitaurilibus lentibus* (uel *lactentibus*)[3])
142	dominus praecipit [superscr. -eps]	*domino praeceps*
156, 4	nauseae: & apprehendet [superscr. i]	*nausia apprehendat*
161, 2	sarritoque	*sarito*

1) ut dubites utrum *quasilum* in Marciano fuerit an *quasillum* Politiani perseuerantia facit, qua ex *quassilum* Merulae *quasilum* ille (uno loco excepto, quo *quassilum* inemendatum reliquit) reddidit; at *Quasillū* in marginibus ipse adnotauit. 2) sub *act* quasi quaedam lineamenta (deletilia, ut uidetur) duxit Politianus magis adumbrata quam expressa. 3) uid. infra, p. C sq.; CXII, adn. 1.

Hisce c. 33, 5 rubricam addito, quam a Merula omissam ita Politianus in marginibus expressit ℞ signo praeposito: *Salictum suo tempore cedatur*, cum in libris sit *Salictum ut suo tempore c(a)edatur*. accidere potuit ut Politianus *ut* omitteret, cum in oculis uerba teneret statim insequentia *Salictum suo tempore caedito*, non aliter atque, in corrigendo uocabulo *meditulio* (c. 20, 1), iterum *meditulio* scripturus erat, quod *miliario* post correxit, uel in capitis 39 rubrica emendanda, quam Merula ad arbitrium ediderat *Quid confici per tempestatem debeat*, Politianus e Florentino ita transcripsit *Vbi Tempestates male erūt qd fieri possit*, sed *confici*, ni fallor, pro *fieri* ante ipse scripserat, quippe cui ad oriculas illud *confici* Merulianum uersaretur. item accidere potuit ut, in c. 14, 2, potius quam lacunae notulam post *orbem* significaret ad uerba *ahenea II* addenda (quae Merula post *limina* [c. 14, 1: *limina ahena* (sic!) *duo*] transposuerat), lineolam deletilem sub *orbem* ille perperam duceret; neque ad credendum difficile duco Politianum, de emendatione *per sementim* in c. 17, 2 sollicitum, de uerbis componendis in c. 73 (*bubus bibant omnibus* pro *bubus omnibus ut bibant*), hic *omnibus* post *bibant*, illic *primum* praetermisisse. quid? nonne in iis emendandis quae Merula sic ediderat (c. 60), *bubus cibaria annua singula in iuga singula*, Politianus scripturam cum reddere uellet uetusti codicis, in quo, *singula* tamen post *annua* omisso, eadem haud dubie exstabant uerba, in euidentissimum cecidit lapsum? nam, uocibus *in iuga* iuncturae signo conligatis ut *iniuga* monstraret Marciani librarium scripsisse *singula*que post *iniuga* uirgula censoria deleto, quas in restituendo uerborum ordine usurpauit lineolas frustratus est, quippe imprudens unam supra *singula* (priore loco) exprimeret supra *iniuga* duas, inmutatum igitur relinquens quem Merula dederat ordinem. nonne in emendandis uerbis *In torcularium quod opus sit*, quae in editione Meruliana c. 13 aperiunt, Politianus, quamuis priore tempore (similitudine deceptus quae capitis 13 exordio est cum initio capitis 12) contextum e Marciano talem effecisset (*In torcularium quae opus sunt*) qualem ipse in initio effinxerat

capitis 12[1]), uocem tamen *torcularium* inemendatam reliquit, quam contra in c. 12 in *torcolarium* mutauerat?

At nescio quo pacto ad Politiani indiligentiam prouocare queas ut testimoni grauitatem minuas quod ille de lemmate XXV subtilius attulit[2]): nam 'uacat' cum ad locum adnotauisset, uel lemma prorsus omissum indicare uoluit uel — quod suspicari licet[3]) — spatium eo loco a scriba relictum. item — nisi forte homoeoteleuto putes Politiani oculos deceptos quod in lemmatibus LXXI et LXXII uerbum *oporteat* efficit nouissimum — contra Politianum si lemma LXXII in Florentino defuisse neges temerario consilio pericliteris.

Fusius disputandum est et uberius scripseritne Marciani librarius in c. 38, 3 quod Politianus uoluit *summamque extrinsecus oblinito* an quod malunt editores *summam extrinsecus oblinito*, consensu omnium nitentes qui adseruantur librorum. sed hoc primum scito, integrum si illum euoluas locum (*si parum altam fornacem habebis ubi facias lateres summam statuito aut caementis cum luto summam* [an *summamque*?] *extrinsecus oblinito*), te et in distinguendo haesurum et in interpretando. nam Keilium parum constantem deprehendes qui in maiore editione, uerbis *ubi facias lateres* interpunctis, *lateres* non mutauit, at in minore ex ista recessit sententia, illis perpensis quae in commentario adnotauerat: '*latere* Turnebus . . . coniecit, recte, opinor, ut scribendum sit *si parum altam fornacem habebis ubi facias, latere summam statuito* sqq. nam

1) uid. quae supra disputauimus, p. LVII.

2) potest re uera cogitari uerba extrema *quo modo aedifices* quae communia utrumque habet lemma et XXIV et XXV Politiani oculos fefellisse. at animaduertas uelim lemma XXV ab Parisini codicis scriba omissum, in margine ab altera manu additum esse.

3) uarie in editione principe indicauit Politianus quae uel rubricas uel lemmata a Merula addita Florentini librarius omiserat: nam in lemmatis modo (semel) 'uacat' adscripsit modo (semel) 'deest in antiquo' modo (bis) 'deest in antiquo deletum'. qua in re ita ille egisse mihi uidetur ut 'uacat' (uel 'uacat in antiquo') ad illa adscriberet quae spatio relicto scriba notauisset, 'deest in antiquo' ad illa quae prorsus librarius omisisset nullo spatio relicto, 'deest in antiquo deletum' ad illa quae legi nequirent utpote a librario ipso deleta.

non de lateribus coquendis haec dicuntur, sed de lapide ex calce coquenda. itaque si propter naturam loci fornax parum alta facienda est, curandum est ut summa pars latere, h. e. opere latericio, erigatur vel caementis cum luto extrinsecus oblinatur.' illis, quae in priore editione dederat Keil, propiora praebuit Hörle[1]) qui, *cum* in *tum* mutato, sic locum legit: *si parum altam fornacem habebis, ubi facias lateres, summam statuito, aut caementis; tum luto summam extrinsecus oblinito.* mea quidem sententia, rationem si habueris Catoniani scribendi usus, uerba *ubi facias* potius cum superioribus iungenda dicas quam cum *lateres*: insuetum namque dixeris in uerbis *ubi facias lateres* conformandis Catonem, quippe qui in huiusmodi structuris particulam *ubi* mediam potius locauerit, ut puta in c. 18, 3 (*inter parietes, arbores ubi statues, fundamenta bona facito*), necnon in c. 18, 5 *uti siet stipites ubi stent* uel in eodem capite (§ 6: *aram ubi facies, pedes V fundamenta alta facito*) uel in c. 21, 2 (*foramina ubi feceris, lamnis circumplectito*) uel in c. 48, 1 (*semen cupressi ubi seres, bipalio uortito*) et in c. 91 (*locum ubi facies, confodito*). accedit his quod *latere* ut scribamus subdisiunctiui generis facit coniunctio *aut*, quae, alterum cum proponat fornacem summam statuendi praeceptum, ablatiuo *caementis* respondentem alium postulat ablatiuum; itaque protasin *si parum altam fornacem habebis ubi facias* apodosis sequitur *latere summam statuito aut caementis,* in qua eadem deprehenditur structura atque e. g. in c. 18, 8 (*stipites robustas facito aut pineas*) uel in c. 133, 1 (*calicem pertusum sumito aut quasillum*), uerbo scilicet finito ante *aut* inserto. restat ut de reliquis loquamur uerbis *cum luto summam* (uel *summamque*) *extrinsecus oblinito.* in quibus, si priora duo (*cum luto*) ad *caementis* non pertineant, quonam sit modo fornax summa oblinenda (i. e. *cum luto*: cf. c. 77 *cum melle oblinito*; at c. 38, 4 *luto oblinito* c. 41, 4 [cf. 40, 4] *luto depsto oblinito,* c. 92 *oblinito crasso luto,* c. 28, 2 [cf. 46, 2] *oblinitoque fimo*) docearis scripturaque *summam* magis uideatur

1) Hörle, Catos Hausbücher, Paderborn 1929, 79, 1.

consentanea; si autem *cum luto* cum *caementis* coniungas, non modo uerbum *oblinito* absolute habeas usurpatum (quod saepissime fieri in opusculo inuenies), sed *summamque* Catonem potius scripsisse censeas ut puta in c. 38, 1 (*lacunam ... facito ... fornacemque bene struito*) uel in c. 44 (*bene enodato stirpesque leuis facito*) uel in c. 50, 1 (*depurgato herbasque malas ... effodito*)[1]).

Item est quae in c. 85 deprehenditur inter **P** (*omnia una bene permisceto*) et **ω** (*omnia una permisceto bene*) discre-

---

1) in memoriam redigit quaestio de scriptura *summamque* alium locum, c. 76, 4 dico, quo dubietas adnasci potest an in Marciano fuerit encliticum *que*. nam in capite, quo de placentae confectione agit Cato, id maiorem affert difficultatem ad inquinatam lectionem *de ueprimo* emendandam (*tracta ... indito, postea solum contrahito ornatoque, focum †de ueprimo† temperatoque, tunc placentam imponito*), quod utrum *temperatoque*, sicuti in exstantibus fere cunctis manuscriptis, an *temperato* (quae lectio est codicis **m**: *focum †de ueprino†* [sic!] *temperato, tunc* eqs.) in Marciano fuerit certo explorare nequis. atramenti enim color talis est in lineola, qua encliticum *que* Politianus induxit, ut de utro codice, Marciano an Mediceo, Angelus scripturam Merulianam *temperatoque* emendarit haud facile discernere possis. quod si *temperato* legendum esset, delitescere dixeris in paragrammate *de ueprimo* rem ad focum temperandum aptam. at si (quod mihi persuasum est) *temperatoque* et Cato scripsit et Marciani transcripsit librarius, uerisimilius habeas licet in scriptura mendosa *de ueprimo* — quam ingeniose sic emendauit Iosephus Hörle, *deuerrito* — *προσταχτιχὴν ἔγκλισιν* latere. quae, *προσταχτιχῶι temperatoque* coniuncta, imperatiuorum par (*deuerrito temperatoque*) reddit antecedentium imperatiuorum pari (*contrahito ornatoque*) ita respondens, ut concinnitas aduertatur sententiarum, in quibus et extrema pariter terminantur et eundem quasi referunt in cadendo sonum.

Et caput 76 quandoquidem attigi, in transcursu de scriptura dicam *cum facies in singula tracta* (§ 2) quam, praepositione *in* deleta, editores, Schneider praeeunte, *cum facies singula tracta* unanimi legunt. uerum enimuero mirum est quod reliquis eiusdem capitis in locis quibus *singula* legitur, aliquid huic uocabulo praeposuerit in scribendo librarius, litterulis *in* quodammodo propius. nam in § 4 *tractan* [an *-tam* ?] *singula* ac paulo inferius *tractaan singula* in Florentino legit Politianus et exstantes codices praebent etsi leui differitate (priore loco *tractan* **Aef** *-tam* [uel *-tani*] **A²** *-tam* **a** rell.; altero *tractam* **amn** *-tan* [*tranctan* **A**] **dfA** *tract* spatio uacuo rel. c). ego quidem iuxta dictiones in Glossariis memoratas *ad singula* et *per singula* hanc, *in singula*, ex Catonis opusculo adiecerim.

pantia explicatu difficilior: poterat enim Politianus, *bene* deleto, *una* supra adnotare *bene*que post *permisceto* addere. neque ad dirimendam dubitationem scribendi usus occurrit Catonianus, quando quidem in praeceptis, quibus *bene* inuenitur, imperatiuus qui dicitur futurus modo illud praecedit aduerbium modo subsequitur. ita — satis si habeas intra locos stare quibus uerbum exstat *miscere* (uel *permiscere* uel *commiscere*) — in c. 76, 3 *id una bene commisceto* inuenies, item in c. 151, 2 *terram cum stercore bene permisceto*; at in c. 37, 2 aduerbium post uerbum posuit Cato, *permisceto rutro bene*, non aliter atque in c. 87 *siliginem purgato bene ... in alueo puro misceto bene* uel in c. 75 *permiscetoque cum caseo bene ... et una permisceto bene* uel in c. 106 *misceto probe*. quae cum ita sint, nihil aliud restat nisi rem in medium relinquere.

Est quod dubitemus an omnium discrepantiarum, quas multas inter **V** et *ω* excussimus, inter **P** et *ω* pauciores, in Politianum culpa sit usquequaque transferenda. nam, quamuis Klotzio quodammodo concedas Politianum in conferendo e. g. uetusto codice Laur. 29, 32, in quo Stati ecloga 2, 7 exstat, 'non ea quae nunc desideratur in philologo diligentia usum esse'[1]) utpote qui uel grauiora silentio praeteriret, tamen mirere licet (maxime si ad nonnullas inter **P** et *ω* discrepantias animum uertamus) quod de Marciani scriptura nonnulla ille testatur cum *ω* ualde repugnantia. quo tamen magis mireris si locos insequentes perpenderis quibus modo **V** modo **P** cum uno tantummodo concinit ex manuscriptis qui exstant, a ceteris dissentit[2]):

---

1) Klotz, praef. ad Stat. Silu. (Lipsiae 1911), p. LII.

2) igitur in indice insequenti scripturam non inuenies *nisi si in familia* (c. 138), quae et in Florentino fuit et est in libris **mnfa**, cum reliqui codices, coniunctione *si* omissa, *nisi in familia* praebent (at in **A** [f. 17u] *ni* uersum claudit, *si* insequentem aperit).

		V	ω
summ.	XIV	deest	deest in **c**: add. cett.
	LXXVI	*erunt*[1])	*erunt* **f**; *erit* cett.
	LXXXXI	*Spaericam*	*Spericam* **c**; *Sp(a)eritam* cett.
c. 2, 5		*puae operasint*	*que ue opera sint* **f**; *quaue* (uel *quaeue*) *reliqua opera sint* cett.
35, 1		*uitiam*	*uitiam* **c**; *uiciam* cett.
78		*sine melle coquitoque*	*sine melle coquitoque* **f**; *sine melle* cett.
80		*uersato*	*uersato* **f**; *uorsato* cett.
81		*indito*	*indito* **f**; *id indito* cett.
144, 3		*non deportato*	*non deportato* **d**; *ne deportato* cett.

		P[2])	ω
summ.	XIII	*instituere*	*instituere* **f**; *instruere* cett.
	XVII	+*sicut* quom(+)odo fabro locabis	*si allocabis* **A**; *si locabis* cett.
	XXVI	s(i)unt	*sint* **f**; *sunt* cett.
	LIII	(*De*) Quantam tale(*is*)am	*De taleis* **c**; *De taliis* cett.

1) at supra *erunt* idem posuit signum (+) Politianus quod in lemmate XVII (uid. hic infra) supra *quomodo*, quasi igitur aliquid adnotare uellet.

2) uid. supra, p. LXXIX, adn. 1.

	P	ω
summm. LV	ʰArundinetum (o supra)	*Harūdo* π; *Arundo* (*Aar-* A) cett.
CXLIII	porcū̲ praecidaneū̲ (a, am supra)	*porca pretidanea* c; *porcam precidaneam* cett.
CLIII	Villicae[1]) officia	om. c; add. cett.
c. 6, 1	in uigintiquiq̄ aut trigīta (·XXV· ·XXX· supra)	*in XXV. a XXX* m; *in XXV aut in XXX* cett.
45, 2	utilis fiet *utusstet*	*ictus stet*[2]) m; *utis stet* cett.
123	mane ieiunis proderit (v supra)	*ieiunus proderit* f; *mane ieiunus proderit* cett.
135, 7	ibi et connodato (mm supra)	*ibi & commodato* a; *ibi e commodato* cett.
143, 2	per eos itaq̄ dies (deniq̄ supra)	*per eos denique dies* f[3]); *per eosdemque dies* cett.
155, 1	fossas inciles ∧ puras (pellere supra)	*fossas inciles*[4]) *pellere puras* m; *fossas inciles puras* cett.

1) uid. supra, p. LXXX, adn. 1.
2) nam ita legitur, non — ut uoluit Keil — *utusstet*; uid. supra, p. LXVIII.
3) haec fuit scriptura et in codice quem in manibus habuit Flauius Blondus (De Roma triumph., p. 172 h).
4) *iniciles* perperam legit, Keilio auctore, Goetz.

Concedamus sane Keilio in c. 6, 1 Politianum neglegentius praepositionem *in* ante *XXX* non addidisse; Keilio item concedamus in c. 135, 7 Marciani librarium *ibi e commodato* scripsisse[1]). at non audacter suaserim quae, nulla ratione habita scripturae uel unius manuscripti Politiani testimonium indirecto corroborantis, ille in commentario ad c. 123 scripsit. ita cur in c. 123 sit 'errori . . . Politiani tribuendum . . ., quod vocabulum [sc. *mane*] lineola subducta notavit, sicut facere consuevit in iis quae in codice scripta non invenit' causa latet. nam si Politiani silentium dubitationem quodammodo inicere potest an quae in editione principe inemendata exstant Florentini scripturam re uera reddant; quid sit non uideo cur de illis dubitemus quae ille deleuit. res aliter se habet quod ad scripturam attinet *pellere* in c. 155, 1. quam, ab **m** tantummodo traditam, Politianus non minio (quo codicis **m** lectiones exarauit[2]) sed atramento usus (quo Florentini scripturam reddere consueuit) in editione Meruliana addidit. censuit Keil — cuius sententia te re uera allicit — Politianum ex **m** lectionem *pellere* deprompsisse[3]); est tamen quaerendum qui fieri potuerit ut Politianus ad Medicei lectiones designandas minio usque ad c. 154[4]) (quod in eodem exstat folio [38^{u}] editionis principis in quo c. 155) usus sit, in c. 155 perperam atramentum adhibuerit, in insequentibus[5]) iterum recte ad minium descenderit.

---

1) idem offendi uitium in Florentino (saec. XI) Varronis De lingua latina (5, 129): *speculum a speciendo, quod i b i e spectant*. pro *ibi e* scripturam praebent codices Parisini 6142 et 7489 (saec. XV) *ibi se*, quam Turnebo praeeunte recipiunt editores: ego de *ibi*⟨*d*⟩*e*⟨*m*⟩ cogitauerim.

2) uid. etiam infra, p. CI sq.

3) Keil, comm. ad loc.: „*Inciles puras habere* apographa et editio Victorii, *inciles pellere puras habere* Politianus manifesto errore: nam *pellere*, quod in principe editione post *inciles* tamquam in archetypo scriptum addidit, in hoc non legerat, sed in Mediceo codice **m**, in quo *iniciles pellere puras* scriptum est".

4) in quo supra *co* (*decouinum*) Medicei lectionem *quo* dedit.

5) e. g. in c. 156, 4 (f. 39^{u}) *apprehendat* (*-et* **V**), *dormitum* (*deoritum* $\mathbf{F}^{p}$), *amplius bibit* (*a. ibit* **V**).

Haec cum cautiores nos faciunt atque prouidos in Politiani indiligentiam saeuire tum rem in medium proferunt quae intercedat ratio inter codices exstantes et deperditum Marcianum. de qua re ante quam tractemus ad codices qui sunt in manibus pergamus. nam quo minus de illo 'codice antiquo' deperdito loquamur a quo uir doctus nescio quis nonnulla adnotauit (*π*) in editionis rhegiensis exemplario[1]), impedit praecipue lectionum paupertas. stetit enim ille uir in summario tantummodo (quod quasi integrum in marginibus transcripsit[2])) necnon in praefatione inque capitibus 1 et 2 (usque ad rubricam c. 3 *Prima adulescentia agrum conserere oportet*) et 157 (usque ad uerba [§ 8] *tam citissime sanus fiet ex eo morbo*[3])).

* * *

Adseruatur Lutetiae Parisiorum, in bibliotheca Nationali, non modo de qua supra disputauimus Georgi Merulae editio Politiani adnotationibus referta, sed etiam codex manuscriptus (A) saeculo XII senescente exaratus uel XIII ineunte, nota 6842 A insignitus, quem nos, Florentino codice utpote orbati, antiquissimum inter exstantes habemus. potuit iste liber, in quo Marci ambo continentur (Cato: ff. 1–22^u; Varro: ff. 22^u–64^u), olim in bibliotheca inesse Francisci Petrarcae, quem Varronis extitisse lectorem certo constat[4]). nihil autem est cur Keili opinioni accedamus, qui, Carolo Hasio auctore, hunc Parisinum in

---

1) contulit primus hasce adnotationes Lepore (uid. supra, p. LI, adn. 4), qui tamen hic illic uel falsam dedit scripturam (utputa [rectam scripturam in cancellis inclusi] summ. XL *ii serentur* [*ů serentur*]. CV *scabuae* [*scabicę*]. CXVIII *quam* [*quam* et in marg. *q*] c. 157, 7 *oxymelli* [*oxymeli*]) uel adnotanda omisit (utputa summ. XI *Salictā*? LV *seratur* ex *-etur*. CXIII *hiemē* ex *hy-*. CXXV *qd* ex *q̊m̊*. CXXX *Mustacios*. CXXXII *ischiacos*. CXXXVI *Ad dyspepsian* ex *-am* ut uidetur. CXLVIII *cōlucare* ex *collu-*) uel quae in exemplario excuso exstant immutata silentio plerumque praeteriit.

2) transcripsit enim (ff. 18^u–19^u) lemmata I–LXXI. (ff. 19^u–20^u) CXIII. CXVIII–CXL. CXLIII–CLXX.

3) alia eademque paucissima ad Varronis r. r. librum tertium (c. 1) adnotata inuenis.

4) uid. supra, p. XXXI.

numero eorum codicum fuisse censuit 'qui a Catharina regina Franciae e gente Mediceorum coempti post mortem eius a. 1589 in regiam bibliothecam translati essent'. certiora de eius origine Elisabeth Pellegrin disseruit, quae, Arnauldeto praeeunte, e bibliotheca Viscontea et Sforzesca codicem in Galliam peruenisse comprobauit[1]).

Membranaceus, ex 65 foliis constat duodenos fere digitos latis (mm. 223), ad octonos proceris (mm. 140): quorum si extremum uerteris (f. 65ᵘ) haec inuenies scripta a bibliothecario, quem Ticinensem fuisse constat, 'Cato cum Varrone De agricultura' ac paulo inferius 'L'[2]); si a postremo proxumum (f. 64ᵘ) haec rubro colore a librario adnotata, 'M. Varronis. ReRvm Rvsticarvm. Lib. III./ Explicit. / Finito hoc libro Gras. Referimus [ex '-ferri-', ut uid.]. [ras.] χpo λm. / Sicut nauiganti dul cis ē portus ita scriptori. noui / simus [sic!] Versvs'[3]).

Inconstantem fecit librari scriptura parum aequalis uersuum numerum in singulis paginis[4]): quarum statim in prima eadem quae et Catonis et Varronis libros descripsit manus haec rubro colore nitidissima notauit, 'Inhoc codice infra scripto. Libri continentur. dere Rustica/ M. Catonis. liber unus. terentii Varronis. libri. III.' subsequitur Catonis opusculi summarium, in quo numerus rubro colore signatus singulis praeponitur argumentis: eodemque colore usus est librarius in contextu ad rubricas indicandas, quas ℞ nota persaepe distinxit. Catonis librum hisce clausit uerbis librarius (f. 22ᵘ): 'M. Catonis. Deagrj. CVLTVRA. Explicit; felicit'.

---

1) Pellegrin, La bibl. des Visconti et des Sforza ducs de Milan au XVᵉ siècle, Paris 1955, 171; Arnauldet, Inv. de la Librairie du Château de Blois en 1518, Le Bibliogr. mod. 12, 1908, 321, n. 850.

2) *L* dubitanter explicauit Pellegrin *l(igatus)*.

3) uerba *Sicut* eqs. (at *scribenti* pro *scriptori*) in codice quoque exstant Palat. 591 (saec. XV), post concili Nicaeni capitula subscripta (f. 8ᵘ).

4) nam apud Catonem XLI habent uersus ff. 8ʳ. 11ʳ. 13ʳ. 14ᵘ; XL ff. 3ᵘ. 12ʳ; IXL ff. 2ʳ. 5ʳ. 6ᵘ. 7ʳ. 7ᵘ. 8ᵘ; IIXL ff. 3ʳ. 5ᵘ. 9ʳ. 9ᵘ. 10ʳ. 10ᵘ. 12ᵘ. 13ᵘ. 17ʳ. 18ᵘ. 20ᵘ; XXXVII ff. 4ʳ. 6ʳ. 11ᵘ. 15ʳ. 16ᵘ. 17ᵘ. 18ʳ. 19ʳ. 19ᵘ. 20ʳ. 21ʳ. 22ᵘ; XXXVI ff. 2ᵘ. 4ᵘ. 14ʳ. 16ʳ. 22ʳ; XXXV ff. 15ᵘ. 21ᵘ; XXXIII f. 1ᵘ; XXXI f. 1ʳ.

Numeros in summario singulis capitibus non praefixisse, a quo manauit Parisinus, exemplar hinc colligo quod persaepe duo uel plura capita, quae nullo spatio ad numeros significandos intermisso continuatim transcripserat primo librarius, numeris deinde inter uersus additis seiunxit altera manus. huc accedit mira illo in codice numerorum perturbatio, quibus si non omnia at plurima ante significauerat librarius capita. nam, ut ex manufestis uestigiis patet, et falsos correxit altera manus quos antea numeros librarius scripserat, *IIII* e. g. ad uerba *Villam rusticam uti aedificatam habeas* perperam praepositum in *V* conuertens, *V* in *VI*, sic deinde deinceps[1]), et a capitulo *Lex oleae faciundae*, quod ut uidetur numero *I* notauerat quasi noua illinc exordiretur capitulorum series, numeris ad capita illud de lege oleae faciundae insequentia praefixis hisce, *II*–*IX* a *Lex oleae pendentis* ad *De uino faecato*, *X*–*XIII* a *Vinum emptoribus Quomodo metiaris* (quod [uid. infra, p. XCVII sq.], duplex [i. e. *V. e.* et *Q. m.*] ab librario factum, counauit, *admetiaris* pro *met.* scribens, altera manus) ad *Intertrigini si uia ibis remedium* (quod numero *XV* significatum tria nullo quidem numero notata secuntur lemmata *Luxum ut excantes, Asparagus quomodo seratur, De salsura ofellae puteolanae*), ad prooemium usque peruenit, quod, tamquam si pars esset summari, membratim ita tradidit ut prima uerba *Est interdum* ... *honestum sit* illis continuaret quae numero *XV* notauerat, reliqua ἑπταχῆι διαμερίσας (*maiores* ... *legibus*; *posiuerunt* ... *existimare*; *et uirum* ... *ita laudabant*; *bonum* ... *laudabatur*; *mercatorem* ... *calamitosum*; *at* ... *inuidiosus*; *minimeque male* ... *erit*) numeris *XVI*–*XXII* amplecteretur[2]).

Plurimas hoc in codice deprehendes rasuras, multas emendationes, non pauca in marginibus supplementa, quae modo librari ipsius tribui possunt manui (**A**[1]) modo aliorum uel eiusdem (**A**[2]) uel paulo posterioris aetatis (**A**[3]).

---

1) falsae numerorum notationis certa uestigia in lemmate *De uinea uetere* colligimus, ad quod (f. 1[u]) numerum *XLV* pro *LIIII* apposuerat librarius necnon in lemmatis *Si bouem* eqs., quod counatum cum aliis tribus (*Boues uti ualeant*; *Vinum familiae* eqs.; *Qui ager a mari* eqs.) numero *LXXXIII* indicauerat, *Aque marine continatio* (sic!) ad quod cum insequenti (*Quo labra doliorum* eqs.) iunctum numerum *LXXXIIII* praefixerat, *Vinum si uoles experiri* eqs. quod numero *LXXXV* notauerat, *Vinum asperum* eqs. ad quod, cum inseq. (*Vt odorem* eqs.) conglutinatum, numerus *LXXXVI* praepositus erat, cett.

2) sub ista prooemi concisura nescio an diuisio quaedam delitescat in cola et commata.

Adnotatiunculae, quas in marginibus inuenies scriptas, similes plerumque indicant locos Catoniani commentarioli. illius qui contextum exarauit, ut mihi uidetur, aequalis, illo tamen uetustior qui in marg. sinistro folii 3^{u} ad c. 6, 1 *gñ̃a* (i. e. *genera*) *oliuarum* adnotauit, in marg. dextro folii 4^{r} ad c. 6, 4 *gña* scripsit *uitjū* (ita namque lego quod Goujardi[1]) oculis *urgi* adparuit), ad c. 7, 3 *gña pomorum* et *gña pirorum*, ad c. 8, 1 *gña ficuū* statimque (c. 8, 2) *gña nucū*, hanc habuit in locis proferendis rationem ut rubricarum prima uerba laudaret[2]) quae capita aperiunt locos illos habentia. ita, e. g., quod in marg. dextro folii 13^{r} adnotamentum legitur (ad c. 79) *r.* (hanç enim inspexi in codice litteram, non *u.* quam Goujard uoluit) *J̃. ć. j. Inuol.* facilem habebit explicatum, *r.* si inceptiuam duxeris litteram[3]) uocabuli *rudibus* eodem in uersu exstantis in quo illa deprehenditur παραγραφή uocemque *Inuol.* ex *Inuoluolus* imminutam ad c. 95 rettuleris, quod, rubrica *Inuoluolus conuoluolus* eqs. prorsus insignitum, rudiculae bis mentionem mouet; adnotamentum igitur *r. J̃. ċ. j. Inuol.* (quod *u. Ī. ċ. I. In uol* Goujard legit atque *uide infra cap. I in uol* dubitanter explicauit) nihil aliud ualet nisi *r(udibus) I(nfra) c(aput?) i(ncipiens?) Inuol(uolus)*. item ad rubricam *Per uer quae fiant* (= c. 40) ducit adnotatio in f. 8^{r} (ad uerba *luna decrescente eximito postmeridie sin⟨e⟩ uento austro*: c. 31, 2) *J. ċ. i. ꝑ uer* (i. e. *I[nfra]*

1) Goujard, Sur une collation du Paris. 6842 A, Rev. ét. lat. 28, 1950 (1951), 88.

2) econtra in f. 5^{u} ad c. 15 *J̃. III*, ut uidetur, adnotauit, i. e., ni fallor, *(uide) I(nfra) (caput ab hoc) III*, c. 18 igitur respiciens, in quo (uid. § 7) ad aram torculari faciendam eandem memorat Cato materiem (caementa scilicet calcemque) quam in c. 15 ad macerias dictauerat aedificandas. itaque hoc in f. 6^{r} ad c. 18, 7 legitur adnotamentum *s. de mac̄.* (non *s. de m̄āē*, quod Goujard *scilicet de materie* explicauit), i. e. *s(upra) (in capite cuius rubrica est) de mac(eriis)*.

3) exstant quas tacuit Goujard litterae quaedam (quarum permultae eadem fere aetate scriptae uidentur qua codex, paucae recentiore) modo in dextro nunc in sinistro foliorum margine interdum in eodem et uno folio utrinsecus adnotatae. eas ad uersum positas deprehendis quo nonnulla insunt uocabula ad memorandum digna: quorum, ne integra qui adnotauit referret, primam tantummodo expressit litteram, punctum aut post ipsam aut modo ante modo et ante et post in adnotando statuens, prout, ni fallor, uocem illam primo aduertebat aut rursus. ne longius faciam, haec satis habeas specimina: f. 3^{u} *p.* (c. 5, 8) = *populneam*; f. 5^{u} *j.* (c. 14, 1) et *.j* (c. 14, 4) = *iugumenta*, *a.* (c. 14, 2) et *.a* (c. 14, 4) = *antepagmenta*; f. 6^{r} *s.* (c. 18, 2) = *suculam*, *p.* (c. 18, 4) = *pedicinis*; f. 8^{r} *.c.* (c. 33,3) = *capita*; f. 10^{r} (marg. dext.) *b.* (c. 45, 1) et *.b.* (c. 46, 1) et *.b* (c. 48, 1) = *bipalio*, (marg. sin.) *m.* (c. 45, 2) = *maleolo* (an *mateola*?) et *.m* (c. 46, 2) = *matiola*.

c[aput?] i[ncipiens?] Per uer)[1]), quam Goujard perperam est interpretatus *Infra caput. I. paragr. uer.* recte si inspexi quae lectu difficillima exstant ('non legi potest', Goujard) in marg. sinistro f. 12ᵘ ad c. 76, 1 adnotata. *J̃. j. pultē* (i. e. *I[nfra] [caput?] i[ncipiens?] Pultem*) de capite 85 cogitandum est: nam, uti ad placentae (c. 76, 1) ita ad pultis punicae confecturam, alicam in aquam infundi magirus docet Cato. item rubricam *Oleam albam secundum uindemiam quam utaris* (= c. 118) significat in f. 15ᵘ ad c. 117 adnotatio *J̄. ca. ola*[2]) (i. e. *I[nfra] ca[put] [incipiens?] Oleam*): bis enim de olea alba condienda Cato loquitur, et in c. 117 et in subsequenti. sed haec hactenus.

Venit Parisinus in manus alicuius (**A**²) qui, eadem haut dubie aetate qua est **A** exaratus, quattuor adnotauit ex iis alteris lectionibus quas in Florentini marginibus adscriptas Politianus deprehendit atque Victorius.

Nam si f. 15ʳ inspicies, in quo c. 112 transcriptum exstat, et illud *quadrantalia* ad *q̄*. inuenies adnotatum et *descopione* ad *des/copio* deprehendes et *curata* ad *pura*.[3]) item in c. 95 (f. 14ʳ) alteram eadem manus inter uersus lectionem iterauit, *nocebit* dico, quam pro *nascetur* teste Victorio[4]) Florentini librarius in marginibus adnotauerat. hisce addito ad c. 20,2 lectionem *modulos* (f. 6ᵘ), quam uti Marcianus — uera si diximus[5]) —

---

1) ad c. 40, 1, ad uerba *luna . . . austro*, duas inuenies (f. 9ʳ) adnotationes, quarum in altera haec mihi apparuere, *s̄. c̓.* ꝗ ad, in altera haec. *j. c̓. j. prata*. alludit prior, ni fallor, capiti 31 (*s̄. c̓.*, i. e. *s[upra]? c[aput]?*), quod uoce *ad* incipit (*Ad oleam cogendam* eqs.) quodque in **A** exstat quattuor ante paginis (estne ꝗ signum illud quo nota 'arabica' numeri 4 in libris effingitur manuscriptis?); altera ad c. 50 (*j. c̓.*, i. e. *i[nfra]? c[aput]?*) delegat, cuius exordium uox *Prata* facit. ista duo adnotamenta counauit Goujard atque est sic interpretatus: *caput. I. C. paragr X ad prata*

2) *Infra caput? ultimus?*, Goujardi sententia.

3) lectionem *curata* ad *lauta* adnotatam in Parisino asseuerat Goujard (l. l., 86), ad *pura* Keil. mihi id apparuit, librarium lineolas (quae, in margine iteratae, de adnotamento monent) super *et* posuisse in uerbis *lauta et pura*, ut diiudicare nequeas utrum ad *lauta* an ad *pura* adnotatio illa pertineat.

4) uid. supra, p. LXXI sq. — addita est supra *nascetur* altera lectio *nocebit* postquam Parisini librarius rubricam utique insequentem scripserat *Oues nescabie* [sic!] *fiant*: quod ut adfirmem faciunt in adnotatione *l nocebit* suprascripta litterae *-it* quae minutiores sunt exaratae ne in uocabulo *Oues* littera *O* laederetur.

5) uid. quae supra disputauimus, p. LIV, adn. 3.

adnotauerat, ita Parisinus quoque in margine praebet ad *modiolos* ascriptam[1]); item lectionem addito *corcubulas* (c. 11, 8), quam syllaba *cu* in uocabulo *corbulas* inter *r* et *b* superaddita, ex *corbulas* A^2 effecit.

Nec ista, ut ita dicam, communitas quam cum Florentino in exarandis alteris lectionibus Parisinus habet, Catonis opusculo definitur[2]), sed apud Varronem quoque aduertitur. nam in libro I (2, 5) ad scripturam *emobi* (i. e., Leo auctore, *em ubi*) par exstat Parisini in margine eademque glossa 'nom̄ loci'[3]), quam in Florentino quoque fuisse Politianus (f. 44r) testificatur.

Huius rei profecto mirificae causas explicare cum uellem, ad hiulcum biuium me peruenisse statim intellexi bifidoque sub tramite dubitaui utrum ille qui in Parisino lectiones alteras adnotauit casu et fortuito ipsas ex Florentino hausisset an inter manus alterutrum habuisset exemplarium de quo F se emendare profitebatur.

Scripturam praebet nonnullis locis Parisinus quae tum Marciano tum reliquis manuscriptis dissentanea deprehenditur. uelut in capitulorum indice *Cibum* [sic!] *sic facito* (lemma LXXXIV) pro *Libum hoc modo facito* et *Votum pro bobus* [sic!] *sic facito* (lemma XCII) pro *Votum pro bubus* et *Mustaceos sic facito* (lemma CXXX) pro *Musta-*

---

1) duplicem scripturam (quae an fuerit in Marciano quoque plane ignoramus) aliis locis praebet apud Catonem Parisinus, uelut (f. 2r) *l alias plus* ad *pius* (praef. 4) et (f. 3r) *trocul(as?)* ad *tronchileas* (sic!: c. 4, 5). hisce emendationem addas *q. a. m.* supra *q; am* (ex *quam*) a manu altera scriptam in summario (f. 2r) ad lemma *Vinum coum* eqs., necnon *q. a. m.* supra *quē* in c. 117 (f. 15u) adnotatam.

2) frustra tamen in Parisino scripturam quaeritabis quam Florentini librarius duplicem in cc. 57. 106, 1. 122. 160 adnotauerat.

3) ad Varr. 1, 2, 5 (*em ubi* [*emobi* trad., *em ibi* Vict. Keil: corr. Leo] *tu quicquam nasci putes posse aut coli natum. uerum enim est illud Pacu*[*l*]*i* eqs.) haec adnotauit Keil: „post *illud* in margine minore scriptura sed eadem manu adscriptum est *nom̄ loci* A“. accuratius ille egisset uir doctissimus, si glossam *nom̄ loci* (quam re uera altera coaeua adscripsit manus) ad *emobi* spectare dixisset. nam lineolas, quas in contextu supra *emobi* positas inuenis, supra *nom̄ loci* in margine aduertis iteratas.

cios quemadmodum facias et *Vinum concinnare ad lotium* (lemma CXXXI) pro *Vinum concinnare ad lotium si difficile emittit uissica.* scripturam igitur iterauit Parisinus quam rubricae praebent hisce lemmatibus respondentes. at quidnam ponderis habeat inter A et reliquos manuscriptos discrepantia quam in lemmatis offendimus istis nescio: nam modo eradendo modo inducendo priorem, quam librarius exarauerat, scripturam erasor (mi concedatur ὀνοματοποιεῖν) obliterauit.

Ita in uigesimo septimo uersu folii 1ᵘ librarius primum, ni fallor, uerba *Item aliud genus,* numero *LXXXIII* praeposito in uersu superiore, exscripserat quasi de nouo ageretur lemmate: at post, *Item* (uel *It*) in *Si* conuertit erasor atque, insequentibus uerbis *aliud genus* deletis, idem lineam scripsit quae *Si* ad *bouem aut aliam quadrupedem serpens momorderit* colligaret; deinde, numero illo *LXXXIII* deleto, uerba *It aliud gn̄s q ui^s* in superiore uersu iterauit quae cum praecedentibus (*Virgas murteas uti serues*) linea iunxit.

Haudquaquam possum uerbo expedire quatenus in lemmatis CXXXVIII – CXLV turbatum sit, in quibus quid librarius primum scripserit ne perspiciatur rasura impedit. patet tamen in sexto decimo uersu folii 2ʳ lemma CXL quod post lemma CXLIII perperam posuerat numeroque *CIII* distinxerat librarius, mutilum exscriptum esse *ut dapē bubus facias* pro *Piro florenti ut dapem pro bubus facias.* neque erasor qui lemma ipsum post CXXXVIIII recte suo loco posuit atque iterum scripsit, ex eodem pendere fonte uidetur ex quo illa hausta erant mutila uerba: nam *pilo* [sic!] *florente dapem pro bobus* [sic!] (in quibus *pro* superscriptum est) cum scriberet, nihil aliud nisi rubricae textum dedit (*Pilo* [sic!] *florente dapem pro bubus fieri*) leuiter mutatum. item in lemmatis CXXVIIII-CXXXIII, quae librarius (f. 2ʳ, u. 8) counauerat numero *XCIIII* praeposito, nil dispici potest quod prius fuerat, quando quidem inde ab *habere* (in capitulo *Mustum si uoles totum annum habere*) haec exstant in rasura lemmata: *CXXX. Mustaceos sic facito* et *Vinum concinnare ad lotium* (in quo sinistri inferioris crusculi notae *X* uestigium apparet ad numerum certo pertinentis, qui lemma indicaret nouum) et *Vinum ad dissilhiacos cocinnare,* in quo an illud monstrificabile *dissilhiacos* uocem *uissica* quodammodo recalcet (quam in praecedenti fuisse lemmate nondum eraso uerisimile est) nescio.

Ne longum faciam, ad lemmata CLII et CLXII (f. 2ʳ) properemus. quorum alterum (*Villice* [sic!] *officia*) a librario omissum ab erasore in extremo uersu uigesimo additum ipsa membrana monstrat; alterum (in uersu uigesimo quarto: *Vinum emptoribus quomodo admetiaris* [sic!]) ut componeret erasor — duo enim lem-

mata de illo fecerat librarius, [uid. supra, p. XCIII], scilicet *Vinum emptoribus* (in uersu uigesimo quarto) numero, ut uidetur, *X* insignitum, et *Quomō metiaris* (in uersu uigesimo quinto) ad quod numerum *XI* idem fortasse praeposuerat – uerba *Quomō metiaris* induxit atque ad uerba *Vinum emptoribus* in extremo uersu superiore exscripta *q̃m admetiaris* addidit, idem uerbum (*admetiaris*) igitur usurpans quod in rubrica exstat.

Mirum tamen est quod et apud Catonem et apud Varronem uel solus uel cum uno pluribusue exstantibus codicibus Parisinus scripturam aliquando praebet, quae, a Florentini uetusti lectionibus abhorrens, in aliis locis potior an sit haud sciam, in aliis quin sit purgatior nulla est dubitatio. uelut apud Catonem[1]: *eruncari* pro *runcari* (c. 2, 4), *maius* pro *malus* (c. 7, 1), *operimenta* pro *opermenta* (c. 11, 5), *conficit ad fornacem* pro *c. ad furnacem* (c. 16), *primum p. IS*:- pro *primum p. IS* (c. 18, 2), *derectas* pro *derectos* (ibid.), *p. IIIIS*:- pro *p. IIIIS* (c. 18, 6), *p. IIII*∸ pro *p. IIII* (c. 18, 9), *de medio prelo conlibrato* pro *d. m. p. conlibato* (c. 19, 2), *effitiundam* pro *efficiendam* (c. 31, rubr.), *duo surculos* pro *duos surculos* (c. 41, 3), *exicaueris* pro *exiccaueris* (c. 42), *controuersus* pro *controuersiis* (c. 43, 1), *nodos* pro *nodo* (c. 47), *patraueris* pro *prataueris* (c. 54, 1), *cummim p. IIII* pro *cummini p. IIII* (c. 69, 2), *congios* pro *cogios* (c. 107, 1), *excluserit* pro *excluseris* (c. 90), *odoratum* pro *oderatum* (c. 107, 2), *marpater* pro *Mars pater* (c. 141, 2)[2], *eosdemque* pro *eos denique*

1) purgatam praebet opinione omnium Parisinus in c. 156, 2 scripturam *demittito unum manipulum*, quae et in F *dimittito unum manipulum* fuit et in cunctis est recentioribus manuscriptis. re uera transiluere codicis A librari oculi ab uerbis *ubi occipiet feruere paulisper demittito unum manipulum feruere desistet postea* ad uerba statim insequentia *ubi occipiet feruere paulisper demittito ad modum dum quinque numeres*, ut, prioribus omissis, posteriora tantummodo exararet scriba. nec ex eo quod altera manus notaculum inter *demittito* et *ad modum* in contextu posuit atque in margine, eodem notaculo iterato, uerba addidit *unum manipulum feruere desistet* (quae rursus altera manus uerbis *paulisper demittito* expleuit) arguamus licet in exemplari a quo descripsit Parisini librarius lectionem fuisse *demittito unum manipulum* pro *dimittito unum manipulum*.

2) uid. Birt, Arch. f. lat. Lex. u. Gramm. 11, 1900, 173.

(c. 143, 2), *sic uterus*[1]) pro *si uteris* (c. 157, 8), *subigito et stercorato* pro *s. e. stercerato* (c. 161, 3). neque Florentini scripturam dixeris istis locis a Parisino castigatam, cuius librarium et litterarum extitisse ignarum et in illis quae transcripsit rudem patet; neque de Politiani indiligentia appellaueris, quando quidem plerasque quas supra attulimus Florentini deperditi lectiones (e. g. *malus, nodo*) in aliis inuenies manuscriptis recentioribus.

Verisimile igitur uidetur Parisinum, quem Florentino deperdito propinquum communes monstrant corruptelae, uno uel altero intercedente codice, ab exemplario fluxisse, in quo nonnulla manum inuenerant emendatricem. ceterum uestigia in illo exstare emendationis studii e nonnullis lectionibus colligo, in quibus, ni fallor, falsa scriptura cum emendata in unum coaluit[2]). utputa: c. 14, 2 *telastogalis duas II* ex *telastogalis* $\overset{\textit{duas}}{\textit{II}}$, c. 31, 1 *agcrufolios* ex *a*$\overset{\textit{c}}{\textit{g}}$*rufolios*, c. 37, 3 *lucurrabartione* ex *lucub*$\overset{\textit{ra}}{\textit{ar}}$*tione*[3]), c. 40, 4 *dēptosto* ex *dēps*$\overset{\textit{to}}{\textit{to}}$ (uel ex *dēp-*), c. 64, 1 *orescesere* (ita namque pro *crescere* scripsit Parisini librarius, non, quod cum Keilio tacite Goujard[4]) uoluit, *orescere*) ex *ore*$\overset{\textit{sce}}{\textit{se}}$*re*, c. 151, 1 *oportetat* ex *oport*$\overset{\textit{at}}{\textit{et}}$.

---

1) de scriptura *uterus* uid. quae disputauit Heusch, Das Archaische in der Sprache Catulls, Bonn 1945, 115.

2) item potuit Parisinus uitiosam scripturam cum emendata conglutinare, e. g., in hisce lectionibus: c. 2, 7 *frum̄tatum* (*ta* del.[?]) ex *fru*$\overset{\textit{tum}}{\bar{m}}$*ta*, c. 11, 4 *semucinas* ex *semu*$\overset{\textit{ci}}{\textit{n}}$*as*, c. 17, 1 *maturarum* ex *matu*$\overset{\textit{ru}}{\textit{r}}$*am*, c. 18, 4 *statuisto* (bis) ex *statu*$\overset{\textit{to}}{\textit{is}}$, c. 43, 1 *saltos* ex *sa*$\overset{\textit{l}}{\textit{t}}$*os*, c. 47 *porrurinam* ex *porru*$\overset{\textit{ri}}{\textit{n}}$*am*, c. 93 *maximumā* ex *maxim*$\overset{\textit{um}}{\textit{ā}}$. ad Varronis libros quod pertinet, satis sit memorare 1, 2, 1 *equitem R. romanum* (f. 24u).

3) in quo igitur *ar* pro *ra* scriptum erat, non aliter atque in c. 6, 1 *carsso* pro *crasso* praebet A.

4) quam in adnotatione critica ad Catonem falsam protulerat Keil Parisini scripturam, retractauit Goujard (l. l.). qui tamen nonnulla uel prorsus omisit adnotanda uel praue legit. igitur pauculas (nam omnes referre longum est) Parisini lectiones hic sub-

Ad hanc rem comprobandam magni mihi uidetur momenti scriptura quam in contextu capitis 141, 4 praebet **A**. uerba enim *lactentibus neque satisfactum est in hisce suouitaurilibus piaculo* sic (quam fidelissime ex codice exscribam) Parisinus tradit[1]):

---

signabo alias quas repperi atque illas a Keilio et Goujardo adnotatas: summ. LXXXIV *hoc modo*] *sic*; XCIII (*S*)*aluillum*; CXVIII $\overset{a}{q}$ *facias*; CXXI $\overset{q.a.m.}{q;}$ *am.* (*q;* ex *qu*; *q.a.m.* spscr. **A**^{2}); CXXXIX *Ligna* (*li-* ex *ut*?); c. 1, 3 *montis* $\overset{t}{siet}$ (*t* add. **A**^{2}, ut *sit et* legeretur); c. 2, 6 *desit in*] *destibi* **A**, erasit *bi* **A**^{2}(?); c. 2, 7 *p̄tium* ex *p̄mium*(?); *frum̄tatum* [uid. supra]; R. V *edificatum*; c. 6, 3 *pallio uortito* [ubi uerba *pallio uortito* . . . *ab alio serito*, a librario omissa, in eodem uersu, qui uerbis *hoc modo serito ibi* cluditur, add. in marg. **A**^{2}: quo factum est ut emendator, litteris *-bi* deceptus in aduerbio *ibi* nouissimis, *pallio* pro *bipalio* scriberet]; c. 10, 4 *uinaria X* (*X* ex *XX*); c. 12 *tro*^{cli} *ias* (*cli* spscr., del. *d*, **A**^{2}); *sita fient*(?); c. 18, 7 *pauimentum* (ex *-to*, ut uidetur) *struito*; c. 20, 1 *cumeis*, corr. *cuneis*; c. 22, 3 *S. S. ₶ dcc. XXVIIII*; c. 24 *puris modium* [*e* inter *puris* et *modium* add. **A**^{3}, ut *puri semodium* legeretur]; R. XXVIII *Vua* (ex *Viua*) *cota* ꝯ*f uel uetur*; c. 26 *corbulas* corr., ut uidetur, *cordulas*; c. 28, 2 *quom pones*] *cum pones* ex *quum* (?) *p.*; R. XXXIV *effitiuntlam* corr. *-undam*; c. 33, 3 *uinaceas*] *runaceas*; c. 34, 1 *traeres* (?) corr. *tracies*; c. 40, 2 *saucem grecam* corr. *salicem g.* **A**^{2}; *stirpem praecisum* ex *turpem p.*; c. 40, 3 *genere*(?) corr. *genus*; c. 47 *rese cato ubi* ex *rescicato* (?) *ubi*; c. 51 *acapite* ex *incipite*?; *eximiique*; c. 57 *id est*] *.i.* ter; c. 59 *alternis*] utroque loco (posteriore haud dubie) *alterius*; c. 63 uerba *subiugia in plostrum p. XIIX funiculum p. X V in arat⟨r⟩um* om.: quae cum in marg. addere uellet ita reddidit **A**^{2} ut, *lorum* in contextu in *plorstum* [sic!] mutato, haec, *in* om., scriberet (*f*) *uniculum p. X V* (*i*)*n aratum* [sic!] *subiugia lorum p. X VI*: om. igitur mensuram subiugiorum in plostrum iterumque reddidit subiugiorum lororum mensuram; c. 65, 1 *a foliis*] signum 7 [= et] aptauit **A**^{2} ut *a* efficeretur; c. 69 *cūmini indito*; *quinquagenarium* (*-na-* ex *-raa-*); c. 75 *una permiseto*; c. 76, 3—4 *fingito tractam* ex *f. tractan*; c. 77 *fit*] *sit*; c. 82 *ita uti*] *intauti*; c. 83 *diuina* ex *-nas*; c. 87 *faex*] *sex*; c. 90 *ut* ex *ui*?; c. 106, 1 *donoc*; c. 112, 1 *qua uter uret*, corr. *ĩterspiret* **A**^{3}; c. 113, 1 *bene sit*; c. 113, 2 *amphoras nolito*; c. 117 $\overset{q.a.m.}{qu\bar{e}}$ *condiantur*; c. 133, 2 *coniuolum*; c. 133, 4 *operite*, corr. *-to*?; c. 139 *ut id* ex *ui*(?) *id*; c. 144, 3 *sictores*(?) corr. $\overset{i}{stctores}$; c. 144, 5 *in* $.\overset{o}{m}.$ ∞. *CC.*; c. 154 *tranferri*; c. 156, 4 *nausea*] *nasica* (uel *nasiea*), corr., del. *c* (uel *e*), $\overset{u}{n\bar{a}}$*sia*; c. 157, 2 *aspectu*] *aspcetu*(?); c. 157, 11 *unsen* corr. *unseꝁi* **A**^{3}; c. 158, 2 *exiisto trebus*; cett.

1) quo commodius rem teneas, codicis scripturam in uersum distuli.

lentib; neq; satis factumē teisces uoui taurilib;
lantentib; neq; satisfactumē teisces uouitaurilib;
lactentib; neq; satis factuē teisces[1]) *uouitaurilib;*[2])
piaculo.

iteratam igitur deprehendis scripturam: nec tamen mera est ac simplex iteratio ista nec oculis debetur librari in uoce *uouitaurilib;* semel iterumque sistentibus inque ipsam redeuntibus. ista in iteratione insunt, ni fallor, expressa uariarum lectionum uestigia quae per riuos uarios in Parisinum tandem fluxerunt; nam lectioni *lentibus* (quae in Florentino quoque fuit, ut uidetur[3])) duae alterae accedunt lectiones, *lantentibus* dico et *lactentibus*, quarum altera emendationem reddit deprauatae scripturae *lentibus*.

* * *

Parisino aetate propior accedit[4]) Laurentianus codex 30, 10 (m), membranaceus, in quo, post Vitruui opus de architectura (ff. 1r – 60u), Cato exstat (ff. 61r – 79u)[5]) atque Varro (ff. 79u – 117u). incidit hoc uolumen, quod saeculo XIV exaratum Franciscus Sassetti (1420 – 1491) e Gallia Florentiam attulerat, Politiani in manus: qui in editione principe, in qua Florentini scripturam aliquot mensibus ante atramento adnotauerat, huius Laurentiani, 'semiueterem' quem appellauit, interuallato breui tempore et ad Catonem et ad Varronem lectiones passim

1) ex *teisses*.
2) re uera *uo* [in fine uersus] *uouitaurilib;*.
3) uid. supra, p. LXXXII, adn. 3.
4) caue in errorem cum Keilio (Observ. crit. in Cat. et Varr. de re r. libros, Halis 1849, 100) rapiaris, qui, Haeneli fidem sequens, Toleti in ecclesia maiore Catonis codicem exstare De agri cultura asseuerat XIV saeculo exaratum. re uera isto in codice Haeneliano, olim Toletano nunc Matritensi, Catonis qui dicitur insunt disticha.
5) subtraxit scelesta manus improbi hominis imaginem minio pictam, quae ante prooemium supera in parte inerat folii 61r.

minio exscripsit[1]). huius quoque auctoritate codicis, quem 'non adeo uetustum neque adeo fidelem' e Medicaea prompsit bibliotheca, usum sese dixit Victorius, qui tamen in Explicationibus suarum in Catonem castigationum unam modo illius scripturam memorauit, *pabulum* (c. 7, 3) dico, quam in Marciano uetusto inque aliis libris mendosam inuenerat *fabulim*[2]).

Attamen aliis locis **m** emendatam praebet scripturam, quam cum Victorius aliquando sibi ipsi uindicauit[3]) tum uiri docti uel Merulae tribuerunt[4]) uel ab apographis saec. XV exaratis putauerunt expressam. ita, e. g., quas a Merula correctas habuerunt editores, lectiones *uinaceis* (c. 7, 2) pro *uinaces*, *postulabunt* (c. 21, 1) pro *po-*

---

1) adnotationi, quam supra (p. LIX sq.) rettulimus, hanc postero tempore subiecit Politianus in editione Meruliana (f. 85ᵘ): 'Contuli & cum altero semiuetere Codice, sed mendosiore. Vnde scilicet ea sumpta sunt quae uideas rubrica esse notata. Anno eodem [uid. supra, p. LIX, adn. 1]: Mense Decembrj'. — nimis equidem demiror cur scripturam a codice **m** traditam simul cum scriptura ab Politiano ex ipso **m** eruta Radulfus Goujard in apparatu critico signet. de ista mirabili Goujardi ratione (quae haud dubie in errorem lectores decipit) satis sit duas adnotationes, exempli gratia, referre (uid. etiam supra, p. IX, adn.): c. 76, 8: 'bene primo *Turn.*: deue primo *AcfP cod. Vict.*, de ue primo *m Pmg*'; c. 149, 2: 'u. a. A^2: ua A^1c Pmg^1 (ut *s. l.*) ua *b m* Pmg^2'. docet igitur prior adnotatio Politianum (*P*) in editione Meruliana *deue primo* ex Marciano adnotasse, *Pmg* tamen (i. e. Politianum in margine) scripturam signasse *de ue primo* quam ex *m* Politianum deprompsisse negaueris, quandoquidem siglum *m* iuxta *Pmg* apposuit editor. de calcaria in carbonariam peruenies, alteram adnotationem si explicare uelis: quae Politianum monstrat lectionem *ua* (emendatione superscripta *ut*) in margine editionis principis priore tempore (Pmg^1) notasse, posteriore autem (Pmg^2) eandem in margine repetiisse, quam uel ex ingenio factam esse dixeris ab ipso Politiano (!) uel ab Marciani librario item repetitam uel in aliis exstantem libris manuscriptis, praeter tamen **Acb** et **m**.

2) *papulum* codex Montepess. H 453, de quo infra, p. CIII, adn. 3 — item unus **m** scripturam *pastor* (Varr. 2, 1, 21) recte tradit, quam et Florentinus et reliqui codices *fastor*.

3) uid. supra, p. LXXII.

4) Keil, Comm. in Catonis de a. c. librum, Lipsiae 1894, p. V: 'idem [sc. Merula] multa, quae in libris manu scriptis apertis librariorum uitiis corrupta sunt, primus correxit'.

stulabant, lactentibus (c. 141, 4) pro *lentibus* [1]), illas re uera in m inuenies [2]).

At uero Laurentianus iste, saeculo XIV etsi exaratus, minus tamen habet preti quam saeculo XV non pauci conscripti codices [3]). nam, quamuis nonnullis locis Marciani scripturam inmutatam retineat, quae uel specie quidem uitiosa (e. g., c. 5, 1 *familia*, c. 64, 1 *nolito crede* [4])) uel aperte inquinata (e. g., c. 57 *congius quinque*, c. 66, 1 *cab &* [*cau&* m²]) emendationi praebet latus, Marciano ipso tamen abhorret, modo coniecturis indulgendo, modo in foedissima incurrendo delicta [5]), modo et Marciani et reliquorum librorum dissimillimam aliquando exhibendo scripturam [6]).

Reliquum est ut de codicibus saeculo XV exaratis fiat sermo: quos non incuriose ut conferrem effeci. exhibuit eorum indicem Keil [7]), illo quidem copiosiorem quem Schleicher concinnauerat, mancum tamen alicubi paucisque uitiatum maculis. qua re quos hic infra stellula notatos

1) uid. etiam infra, p. CXII, adn. 1 necnon supra, p. C sq.

2) quam codici m tribuerunt Keil et Goetz scripturam in c. 142 *quae dominus praeceps* falsam inueni: quae in Fᵛ necnon in Parisino recentioribusque manuscriptis, eadem in m quoque lectio exstat difficilior (uid. supra, p. LXVI, adn. 5) *que domino preceps*.

3) quorum Laurentiano propiorem, immo proxumum, Montepessulanum H 453 deprehendi.

4) altera enim manus, ut mihi uidetur, syllabae *re* truncationis signum nouissimae *e* in uerbo *crede* superposuit, ut non *crede* sed *credere* legeretur.

5) uid., e. g., c. 135, 1 *collibus* (pro *Calibus*), c. 141, 2 *ole frudas* (pro *defendas*), c. 146, 2 *ex te non* (pro *ex K. Nou.*). item exemplaris, quod praesto habuit, adnotationes diuersam praebentes scripturam e marginibus codex m in contextum intulit: e. g., c. 54, 3 *modium grandis al glandis*, c. 67, 2 *neque al quid olei*, c. 70, 2 *ieuniis* [sic!] *al ieunius* [sic!], c. 143, 3 *crutas uel erutas* [an *orutas*?] *habeat*, c. 156, 4 *si amplius ibit uel bibit*, c. 156, 6 *ne perta edescat uel pertedescat*, cett. — saepius (14ⁱᵉˢ) hoc in codice compendium *vo* (i. e. *uero*) deprehendi in extremo uersu positum (uid. ff. 62ʳ. 62ᵘ. 64ʳ. 65ʳ. 65ᵘ. 67ᵘ. 68ᵘ [bis]. 73ʳ. 74ᵘ. 75ᵘ. 76ᵘ. 78ᵘ [bis]); semel plene scriptum, *uero* [f. 71ʳ]): quod quorsum spectet nescio.

6) uelut c. 53 *comedant* (pro *edant*), c. 114 *particulas* (pro *radices*), *inicito debite* (pro *inicito*), *redige* (pro *seruare*), c. 135, 2 *Pompeis Nolae optima erunt* (pro *P. Nolae*), c. 143, 1 *ne eciam* (pro *neue mandet*). cett.

7) Keil, Obs. crit. eqs., 5sqq.

inuenies codices keiliano indici addendos habeto: nec omnes contendo a me in inferiorem tabulam relatos esse codices saeculo XV conscriptos[1]):

1. Laur. 51, 1 (f Keili)
2. Laur. 51, 2 (b Keili)
3. Vat. 1524
4. Vat. 3310
5. Vat. Vrb. 1328 (d)
6. Neap. V A 5
7. Neap. V A 8 (n)
8. Caesen. Malat. 24, 2 (c Keili)
9. Mutin. bibl. Est. P 6. 2

*10. Lucensis 1402
11. Ven. Marc. 462
12. Wratisl. R 134
13. Paris. 6149

*14. Montepess. H 453
*15. Brit. Mus. Add. 19355 (a)
*16. Brit. Mus. Arund. 81
*17. Brit. Mus. Lansdown. 833
*18. Barcin. 626
*19. Scorial. R I 7

Secuntur libri, qui prima capita non integra ferunt, sed tamquam ad excerpta redacta:

*20. Vat. 3390
*21. Vat. 7240
*22. Vat. Ott. 1804
*23. Senensis IX 25 (mutilus: nam in uerbis desinit [f. 32[u]] *preconium presens SS .L. et oleum* [c. 146, 1])[2])
*24. Ven. Marc. 6. 112
25. Paris. 11213

1) inueni in nouissimis foliis codicis qui, a. 1476 exaratus, Florentiae adseruatur in bibliotheca Nationali (Conv. Soppr. J IX 2), caput 157 tantummodo exscriptum, in quo eundem offendi textum quem in editione sua a. 1472 Venetiis impressa Georgius Merula dederat.

2) aduertas uelim codicis huius librarium post uocem *lingulas* (quae c. 84 cludit) haec scripsisse (f. 22[r]): 'In exemplario antiquissimo unde hunc exemi sic in marginibus emendaui. hinc de uno exemplariorum.'

26. Oxon. Bodl. Canon. Lat. Class. 305
*27. Oxon. Bodl. x. 1.5.1

Denique memoranda sunt quae, Meruliana usus editione, Bartholomaeus Fontius a. d. VI Kal. Oct. a. 1476 de Catoniano opusculo excerpsit[1]). adseruat haec:

28. Riccardianus 153

Ex hac manuscriptorum siluula paucos qui eligantur dignos offendi: nam – bene si uidi – qui librum n. 1 recte norit libros quoque numeris 3, 4, 9, 11, 17, 18, 19 distinctos nouerit; manuscriptum n. 2 ubi contuleris, libros 5 et 16 ne conferas abstineto. inter se non ita dissimiles sunt, nisi quod in uno uel altero siue emendationis studium siue uitiosa scriptura adulterationem efficit. igitur in omnibus euoluendis libris saeculo XV exaratis, illos melioris notae animaduerti quos supra numeris notatos 1 (= **f**), 5 (= **d**), 7 (= **n**), 8 (= **c**), 15 (= **a**) inuenies. nam Laurentiano 51, 2, quem a Keilio adhibitum ipse iterum contuli[2]), Vrbinatem praeposui. qui, artissimo uinculo

---

1) Keil, Observ. crit., 1, 12 n. 31: 'Codicem a Lamio catal. bibl. Riccard. ita indicatum, "Cato De re rustica, Varro De re rustica excerpta N. III. cod. chartac. in 4. n. XXVII" non vidi'. hunc ego librum non alium esse puto ac Riccard. 153.

2) nec frustra. nam uti in Politiani adnotationibus promendis (uid. supra, p. LXsqq.), ita in exprimenda librorum recentiorum scriptura saepe modo in apparatu modo in commentario peccauit Keil. de Parisino (A) loqui intermitto, de quo supra. ad libros saec. XV exaratos quod attinet, multa offendi in adnotatione critica keiliana falsa: quorum, ne longius faciam, haec satis sit adnotare (quae in cancellis inclusi Keili reddunt peccata):

b: c. 1, 3 *prope siet si aut mare* (*p. siet aut m.*), c. 7, 4 *confricatę* (*-cato*), c. 10, 4 *eluaerum I* (*eluacrum unum*), c. 11, 2 *aenium quod* [e above i] (*aeneum* corr. *-ium q.*), c. 28, 1 *aut feras* (*aut seras*), c. 33, 4 *perfringantur* (*praefr-*), c. 46, 1 *serito* (*sepito*), c. 50, 1 *inrigiua* (*inrigua*), c. 57 *congius V* (*congios V*), c. 89 *aqua sita siet* (*aquas ita siet*), c. 103 (item c. 107, 1) *sint* (*sient*), c. 127, 1 *dispesiam* (*dispepsiam*), c. 134, 2 (alt. l.) *sis* (*sies*), c. 135, 3 *recenti aquę* (*recentia quae*), c. 135, 5 *subugia in lustrum* (subiugia *in l.*), c. 135, 6 *et dig. V* (*et digit. V*), c. 135, 7 *et dig. II* (*et digi II*), c. 141, 2 *tu morbos* (*tum orbos*), cett.;

c: summ. IIII *adulescentia* (*aduli-*), XVI *sint* (*sunt*), CXXXI *emittit* (*-et*), CXXXIIII *murteum* (*murtetum*), CXLIII *pretidaneam* (*praecidaneam*), CLIIII *fecundę* (*-de*), c. 2, 6 *compareant* (*-eat*), c. 8, 2 *loseam* (*loream*), c. 9 *irrigiua* (*irrigua*), c. 10, 2 *q. u.* (*q. II*), c. 11, 5 *inferagula IIII* (*instrangula IIII*), c. 13, 2 *spongias* (*-eas*), c. 37, 2

et Laurentiano Keili et Arundeliano (n. 16) coniunctus, permulta custodit uel solus uel cum Arundeliano uetustioris documennt scripturae[1]), quam uel aperte inquinauit uel asperam inani cultu Laurentianus persaepe leuauit.

ueluti, e. g.: 1, 1 *quom* **d** *quum* **b**; 1, 4 *torcula^ria* **d** *torcularia* **b**; 2, 1 *siet confecta* **d** *sint c.* **b**; 2, 2 *uilicus se dolo/sa* (superscr. l, u, e) **d** *uillicus sedulo se* **b**; 2, 5 *quaue* **d** *que* **b**; *oliariam* **d** *olea-* **b**; *accipiunda* **d** *-enda* **b**; 3, 1 *ędifices* **d** *-cas* **b**; 3, 2 *uinariam* **d** *uineariam* **b**; *uenire* **d** *euenire* **b**; 3, 4 *putescet* **d** *putre-* **b**; *temperi* (corr. *-ori*) **d** *tempori* **b**; 4 *siueris* **d** *sineris* **b**; 5, 4 *defrudet* **d** *defraudet* **b**; 5, 8 *stercilinum* **d** *-nium* **b**; 7, 4 *confriato* (superscr. c) **d** *confricatę* **b**; 10, 2 *oliaria* **d** *olea-* **b**; *capeat* **d** *-iat* **b**; 11, 5 *sataria* **d** *satra* **b**; *opermenta* **d** *operimenta* **b**; 13, 2 *centumpondium* **d** *-dum* **b**; 14, 4 *indicto* **d** *indito* **b**; 15 *p. XIV* **d** *p. XXV* **b**; *sublinat* **d** *-mat* **b**; 17, 1 *que materies — tum tempestiua est* add. **d**, om. **b**; 17, 2 *ulmus* (superscr. i) **d** *-is* **b**; 18, 8 *uoles* **d** *uelis* **b**; 18, 9 *occludito* **d** *concludito* **b**; 21, 3 *cludat* **d** *claudat* **b**; 21, 4 *utrinsecus* **d** *intrinsecus* **b**; 23, 1 *quala* **d** *qualia* **b**; 23, 3 *doleo* **d** *dolio* **b**; 25 (bis) *quom* **d** *quum* **b**; 26 *fac extergeantur* **d** *ext.*, om. *fac*, **b**; 32, 1 *uinias* **d** *-eas* **b**; 33, 1 *Viniam sic facito uti curetur* **d** *Vinea ut curetur sic facito* **b**; 33, 4 *prefringantur* **d** *perfr-* **b**; *sarito* **d** *serito* **b**; 37, 1 *tra-*

---

et segeti (*ex s.*), c. 40, 2 *preacinto* (*praeacuito*), *uti stet* (*uti stet ut uidetur*), c. 53 *aedunt* (*edunt*), c. 57 *congius quinque* (*congios q.*), c. 76, 1 *silignee* (*siligineae*), c. 93 *ęe* (*eae*), c. 112, 3 *descorpio* (*descorpione*), c. 133, 2 *coniuolum* (*conuiolum*), c. 135, 3 *recenti aquę* (*recentia quae*), *modia* corr. *-io diuidat* (*modia d.*), cett.;

f: c. 3, 2 *uenire* in marg. add. alt. m. (*uenire* et in marg. *e*), c. 28, 1 *aut feras* (*aut seras*), c. 33, 3 *uiue radicem* (*u. radices*), c. 37, 4 *materiam doles* (*matiem d.*), c. 50, 1 *in rigiua* (*inrigua*), c. 57 *congius quinque* (*congios q.*), c. 66 *cabet* (*cauet*), c. 81 *Erneum placentuam* (*E. placentam*), c. 89 *aquas ita fiet* (*a. i. siet*), c. 95 *fiet* (*siet*), c. 100 *coniubat* (*conuibat*), c. 103 *sint* (*sient*), c. 107, 1 *uicij* (*uitii*), c. 121 *silignę* (*siliginee*), c. 122 *iuni pitum* (*iunipirum*), c. 133, 2 *coniuolum* (*conuiolum*), c. 133, 3 *bimum* corr. *bieniim* (*bienium*), c. 134, 2 (alt. loco) *uti sis* (*uti sies*), c. 135, 1 *cuculiones* (*-cull-*), c. 135, 5 *subugia in* (*subiugia in*), c. 141, 1 *inani* (*mani*), c. 142 *quomodo quę* (*quomodoque*), c. 156, 1 *conquoquit* (*cū quoquit*) et *antistate* (*anistate*), c. 156, 2 (alt. loco) *demitito* (*dimitito*), c. 156, 3 *cauda* corr. *calida* (*calida*), c. 157, 2 *supra scripta. Et item* (*supra scripta est Et item*), cett.

1) e Marciano originem suam duxisse Vrbinatem inde colligitur quod ad uerba (f. 88u) *tubicinam graecum* (Varr. 3, 17, 4) quae in Marciano postrema erant (uid. supra, p. LIII) librarius stetit: qui tamen reliqua postero tempore addidit.

cies **d** *traicies* **b**; *exugunt* **d** *exigunt* **b**; 37, 2 *putidam* **d** *putridam* **b**; 37, 5 *et arboribus* **d** *arboribusque* **b**; 38, 3 *fauces* **d** *fuces* **b**; 40, 1 *uitiariis* **d** *uinarijs* **b**; 40, 3 *quod* **d** *quot* **b**; 40, 4 *permanet* **d** *permaneat* **b**; 41,1 *optuma* **d** *-ima* **b**; 46, 1 *sepito* **d** *serito* **b**; 47 *exsimas* **d** *eximas* **b**; 50, 1 *stercerato* **d** *stercorato* **b**; 50, 2 *uiniam* **d** *-eam* **b**; 51 *aliarum* **d** *-rumque* **b**; *serique* **d** *ac seri* **b**; 63 *subiugia in plostrum* **d** *s. i. plaustrum* **b**; 66, 1 *cabet* **d** *cauet* **b**; 66, 2 *alterum* **d** *alterutrum* **b**; 69, 2 *calfacito* **d** *calef-* **b**; 73 *quodannis* **d** *quot-* **b**; 75 *caldo* **d** *calido* **b**; 76, 2 *depsueris* **d** *deposueris* **b**; *cocas calfacito* **d** *coquas calefacito* **b**; *imponito* **d** *ponito* **b**; 76, 4 *caldo* **d** *calido* **b**; 79 *caldum* **d** *calidum* **b**; 83 *uotum facito* **d** *u. facio* **b**; 87 *exsiccato* **d** *exi-* **b**; 90 *ui prensus* **d** *inprensus* **b**; *coctam tostam* **d** *coctam*, om. *tostam* **b**; 91 *pauiculis* **d** *pani-* **b**; 95, 1 *uinia* **d** *uinea* **b**; 95, 2 *caldam* **d** *calidam* **b**; 98, 2 *putescet* **d** *putrescet* **b**; 100 *bibet* **d** *bibit* **b**; 114, 1 *uindemiam* **d** *-um* **b**; 127, 1 *dispepsiam* **d** *dispesiam* **b**; *si sic* **d** *et sic* **b**; 128 *quadriduum* **d** *quatriduum* **b**; 132, 1. 2 *iupiter* **d** *-ppi-* **b**; 132, 2 *alium* **d** *allium* **b**; 133, 2 *coniuolum* **d** *conuiolum* **b**; 134, 2 *fercto obmouendo* **d** *ferto o.* **b**; 135, 3 *indere* **d** *itidem* **b**; *unguere* **d** *ungere* **b**; 141, 1 *siue circunagi* **d** *s. -gri* **b**; 143, 2 *cotidie* **d** *quot-* **b**; 144, 2 *iunto* **d** *unito* **b**; 144, 5 *oletate* **d** *oleatate* **b**; 146, 2 *pigneri* **d** *-ori* **b**; 146, 3 *equom* **d** *ęquum* **b**; 154 *culleare* **d** *collocare* **b**; *transferri possitur* **d** *t. possit* **b**; *opturari errecte* **d** *obturari erecte* **b**; *decouinum* **d** *de quo uinum* **b**; 156, 4 *sese* **d** *se* **b**; 156, 6 *postea edit* **d** *p. edat* **b**; *febres* **d** *-is* **b**; 157, 3 *putida* **d** *putrida* **b**; 157, 14 *intro indito* [sic!] *si turundam* post *erit turundam* add. **d**, *om.* **b**; 161, 3 *subigito et stercerato* **d** *s. e. stercorato* **b**; 162, 1 *deosum* **d** *deorsum* **b**; 162, 2 *composueris* **d** *posueris* **b**; cett.

Quae de Vrbinati, eadem de illo dici possunt libro quem superiore in indice ad n. 15 memoraui litteraque **a** insigniui[1]). qui, quamuis eiusdem esse familiae primo obtutu animaduertatur atque libri 1, 2, 8[2]), in quos animum conuertit Keil quorumque consensum **R** littera idem significauit, tamen nonnullas notatu dignas exhibet lectiones quae a **R** abhorrentes Florentino deperdito uel Parisino sunt manifesto propiores.

Atque in primis considerandam puto duplicem illam in c. 112 scripturam, *pura* in contextu *curata* in margine, quam in Florentino uetusto Politiano Victorioque testibus adnotatam iterum in **a** repetitam inueni[3]). sed operae

1) isto in codice manum inuenies Georgi Antoni Vespucci: uid. A. C. de la Mare, o. c., 133.

2) uid. supra, p. CIV.

3) exstat eadem, ut supra (p. XCV) diximus, et in marginibus codicis Parisini.

pretium est et alia cognoscere quae ex omnibus manuscriptis XV saeculo exaratis solus **a**, quod quidem sciam, cum **F** (et saepe cum **F** et **A**) communia habet, uelut c. 4 *melior* **VAa** *melius* rell.; c. 6, 3 *in iis* **F^{p}Aa** *in his* cett.; c. 43, 1 *controuersiis* **F*a** *-uersus* rell.; c. 52, 1 *cum iis* **F^{p}Aa** *cum eis* uel *cum his* (*bis* **c**) rell.; c. 64, 1 *nolito crede* **F^{p}Am^{1}a** *nolito credere* cett.; c. 84 *mellis p.*⸗ **F^{p}Aa** *mellis p*:- uel *mellis p*. rell.; c. 104, 2 *post solistitium* **Aa** (**F^{v}**?) *post solstitium* (uel *-cium*) rell.; c. 127, 1 *dyspepsiam* **F^{p}a** *dispepsiam* uel *dispesiam* uel *dyspsiam* uel *disuriam* rell.; c. 134, 4 *Iano struem* **F^{p}a** *ita nostruem* (uel *-uam* uel *-um*) rell.; c.157,7 *coriendrum* (*-ndum* **A**) **F^{p}a** π **A** *coriandrum* uel *corriandrum* cett.

* * *

Abhinc annis amplius CXXX Augustus Schleicher sententiam aperuit suam[1]), codices qui Catonis opusculum Varronisque libros georgicos tradiderunt a Marciano uetusto emanasse omnes. in istam sententiam Henricus Keil discessit[2]), Georgius Goetz post Keilium, post Goetzium omnes – si Henricum Schörl[3]) excipias – et Catonis et Varronis studiosi.

Re uera tot habuit Florentinus ac talia cum libris ω communia ut illum dixeris horum archetypon. admonet tamen amissio codicis ut hac in re nihil certum dici possit.

At hoc pro certo teneo, exemplar (**Φ**), e quo F(lorentinus) descriptus est liber manuscriptus, quam simillimum fuisse duobus illis antigraphis (**x** dicamus et **z**), de

---

1) A. Schleicher, Meletem. Varron., spec. I, Bonnae 1846, 15.

2) qui, nulla mentione de Schleichero facta, haec scripsit (Observ. crit. in Catonis et Varronis de r. r. libros, Halis 1849, 19): 'omnino autem omnes quos vidi et accuratius examinavi codices ita et inter se et cum Politiani excerptis consentiunt, ut dubitari nequeat quin nullus inter eos sit neque Varronis neque Catonis codex, qui non ex illo quo Victorius et Politianus usi erant descriptus sit'.

3) Wien. Stud. 35, 1913, 75sqq.; contra, Goetz in praef. ed. Varr.[2] (Lipsiae 1929), IIIsqq.; uid. etiam K. Mras, Bursian Jahresb. 192, 2, 1922, 72sq.

quibus Florentini librarium emendasse certo scimus ('huc usque [sc. usque ad c. 84] de duobus emendaui, hinc de uno exemplario tantum')[1]). quod ut adfirmem capitis 61 facit lacuna, quam in **x** exstitisse et in **z** librarius ipse Florentini, ni fallor, docuit, quippe qui istis ex antigraphis nihil ad locum illum addidisset.

Erant horum exemplarium in altero (**z**) utpote, ni fallor, mutilo uerba *catinum testo operito* (c. 84) nouissima; alterum (**x**) pro littera *q.* compendiaria *quadrantalia* saepissime (semel *quadrantarium*) scripserat[2]), ut alteras fere omnes lectiones, quas in Florentini marginibus inuenere Politianus atque Victorius, ex hoc haustas dixeris antigrapho **x**, i. e.[3]):

c. 57	*quadrantalia*
[59	**quadrantalia*?]
95, 2	***nocebit*
106, 1	**quadrantarium*
112, 3	**quadrantalia*
	descōpione
	curata
122	***capidam*
160	*pe tes* (an *pt es*?)

Ex se intellegitur tum **Φ**, **F** codicis patri, tum libris **x** et **z** nihil fuisse cum alio codice illo, e quo in c. 160 altera fertur cantionum scriptura, scil.:

---

1) uid. supra, p. XL, adn. 1.

2) uocabulum *quadrantalia* plene, ut uidetur, scripsit F in contextu capitum 104, 1 (*quadrantalia II*) et 112, 1 (*quadrantalibus quinque*). — obiter atque in transcursu, ad compendia quod attinet, fiat sermo de scriptura *umseri* in c. 157, 11, ubi an compendium *mn* (perperam *um* [et *uni* et *un*] traditum) ad indicandum uocabulum *menses* sit insolite adhibitum (atque igitur *m(e)n(ses)* explicandum) haereo. nulla enim est mihi dubitatio quin in ista deprauata scriptura, quam Aemilius Pianezzola ingeniose emendauit (uid. supra, p. XLVII, adn.), compendium delitescat litteris *mn* effictum, quarum cruscula (quinque) prauam lectionem *um* generare potuerunt. non me tamen fugit insequentis uocabuli, *seri*, primam syllabam (i. e. *se*) efficere potuisse ut uocabuli *menses* nouissima syllaba (i. e. *ses*) haplographiae causa laberetur, atque igitur *m(e)n⟨ses⟩* scribi posse.

3) quid sibi uelit stellula (simplex aut duplex) uid. supra, p. LIV, adn. 2.

moetas (pro *motas*)
dardaries asiadarides una petes (pro *dardares astataries dissunapiter*)
uel luxato (pro *et luxato*)
huat hauat huat (pro *huat haut haut*)
ista pista sista dannabo (pro *istatis tarsis ardannabou*).

Alterae namque istae lectiones, quas praeposita formula *in alio s. f.* (i. e. *in alio* [*codice*] *s*[*ic*] *f*[*ertur*]) anonymus quidam in marginibus olim adnotauerat, in contextum antiquioribus inrepsere temporibus, ut in neruis contextus ipsius inhaererent, non modo in Marciano sed etiam aliqua ueri simili ratione in **Φ** et in **x**. potiorem (si in re tam lubrica diiudicare licet) praebet iste 'alius codex' scripturam in uerbis *ista pista sista*, haec si interpreteris tamquam *ista pestis sistat*; at perobscura quam idem tradit scriptura in uerbis *moeta uaeta* ... *asiadarides una petes* sensu omnino caret atque ab illa decedit quae est *motas uaeta* (i. e. *mota* [= 'luxata': cf. Paul. Fest. p. 106, 25 L. 'luxa membra e suis locis mota' eqs.] *suaeta* [= *suta*? scil. *membra*?]) ... *astataries dis*[*s*] *una piter* (= *astataries una Dispiter*?).

Supra quae dixi si ad ueritatem accedunt, rationi inuenies consentaneum libros **x** et **z** ex eodem manauisse archetypo, ex quo originem suam **Φ** traxit, Florentini scilicet codicis pater. fuerunt enim tribus istis manuscriptis communes non modo lacuna in c. 61, sed etiam corruptelae: hoc ex silentio collegerim Florentini codicis scribae, qui, desperatos locos notula cum indicaret[1]), nihil tum in **x** tum in **z** sese inuenisse quod illas sanaret corruptelas, tacite monstrauit.

At et lacunam illam et illas corruptelas rursus in codicibus aduertis qui ad nos peruenerunt. qui quantum inter se cohaereant ex ipsa uerborum patet partitione, quae falsa nonnullis deprehenditur locis, utputa c. 38, 1 *fortaxto* (*-xo* **c**) *tam* **Afdnc**, c. 46, 2 *bubulosum* (*-bolo-* **m** *-loscim* **n**) *mamtaleam* (*mom-* **c**) **Acmnf**, c. 102 *mel anthiace tabulum* (*mel aut in ace tabulum* **mn**) **Acafmn**, c. 132, 1 *illa cedape* **Acfmn**, c. 141, 2 *prohibes sis* **Afdmn**. item de uerbis hic illic in Florentino falso partitis certiores fimus, ut, e. g., c. 12. *V. Biprȩla* (pro *ubi prȩla*), c. 14, 3 *hȩrei* (pro *hae rei*), c. 21, 3 *desuos ibi* (pro *de suo sibi*), c. 25

1) uid. Victori adnotationem ad c. 39, 1 ('uirisicca'): 'hoc enim semper seruauit diligens librarius, ut quos locos suspectos haberet, notula indicaret'.

lector estibus (pro *lecto restibus*)[1], c. 31, 2 *post meridies in uento* (pro *postmeridie sin⟨e⟩ uento*), c. 60 *iniuga* (pro *in iuga*) c. 135, 3 *recenti aquae* (pro *recentia quae*), c. 139 *dex squoium* (pro *dea es quoium*), c. 141, 1 *imperas uouitaurilia* (pro *impera suouitaurilia*), c. 157, 16 *de petiginis porcae* (pro *depetigini spor⟨i⟩cae*, i. e. *psor⟨i⟩cae*[2])). hanc in hisce uerbis falsam partitionem non modo fuisse in Florentino compertum habemus, sed etiam in **A** deprehendimus inque libris recentioribus. nec in Florentino ea tantum extitisse dixeris falso partita uerba quae Politianus aperte testatur: quod ut credas adnotatio facit Politiani ad lectionem Merulianam *boni uiri resoluat* (c. 149, 2), ad quam ille scripturam solummodo *ua*, i. e. *u*(*iri*) *a*(*rbitratu*), e Florentino in margine pro *uiri* adnotauit, nullo modo prorsus cum laboraret totam ut adscriberet scripturam, quam non aliter atque in **A** recentioribusque in Florentino quoque *boniuare* fuisse *soluat* probabili assequaris coniectura. nihil igitur mirum si in Florentino quoque et illa fuisse putemus falsae uerborum partitionis specimina quae pauca (nam longum erat omnia referre) ex **A** erui aliisque codicibus. nec numeri desunt probabilitatis coniecturae, eandem Florentinum praebuisse scripturam *sedolosa* (uel *se dolosa*) in c. 2, 2 quam in libris offendimus omnibus quotquot habemus[3]).

Inter se cohaerere diximus libros qui exstant manuscriptos[4]). ita **f** haud secus quam **A** lectiones praebet

---

1) erat in editione Meruliana scriptura *lectos* [in fine uersus] *aestibus substernito*, ubi Politianus, lineola subter *s* (in *lectos*) ducta, *r* superscripsit, uocalem *a* (in *aestibus*) deleuit, supra litteras *sterni* (in *substernito*) lineola deletili signatas *-ten-* scripsit, ex **F** igitur hanc scripturam effingens: *lector estibus subtento*. statim tamen *r* ante *estibus* posita ut *restibus* legeretur, in margine *lecto restibus*
ċ .. l retib
ċ retib
[an *restibus*?] *sb'tēto* (ex **F** quoque, mea quidem sententia: uid. supra, p. LVI sq.) adnotauit.

2) uid. supra, p. XIII.

3) uid. etiam Pighi, o. l., ad locum.

4) de libris **A** et **m** satis sit lectorem ad illa delegare quae Keil in praef. ad edit. maior. (p. XI) scripsit. eadem de **n** dici possunt, quem artissime cum **A** et **m** coniunctum deprehendi.

expinsi iar (c. 2, 4; item **d**) et *lucurabartione* (c. 37, 3; *-curra-* **A**) et *sindent* (c. 128) et *bulcis* (c. 132; *bul-* corr. *bubul-* **n**) aliasque innumeras; at non *eo die*, e. g., **f** in c. 2, 1 (alt. loco) cum **A** aliisque codicibus (**mnac**) scribit, sed *eodem die* cum **d**. item **c** *sic hoc habuerunt* (praef. 1), e. g., et *cadant* (c. 67) cum **f** scripsit, at contra **f** (qui solus c. 2, 7 *plaustrum* habet et c. 25 *cribrum* cum **man** et c. 37, 5 *ficulnea* cum **mn**) *plostrum* et *cribum* et *ficulna* cum **A** praebet aliisque codicibus recentioribus. simillima habet **a** cum **c**, ut uterque, e. g., c. 33, 4 *scrito* praebeat, c. 39, 1 *uiti sicca*, c. 48, 2 *crebrorum cato*, c. 67, 1 *infanctus* (*infāctu* **A**), et plurima alia; at in **a** *uiti* legitur cum **A** (*uiti* corr. *uti* **n**) in c. 1, 2 contra **c** qui (cum **mdf**) *uti* et (c. 2, 1) *ad postridie* (*ad* corr. *at* **n** *ad post tridie* **d**) cum **Adn** contra **c** (et **m** et **f**) qui *at postridie*; item c. 7, 4 *confriato* **a** (cum **Af** [*confria-* corr. *confric-* **dn**], *confricato* **c** (*confrica co* **m**), c. 37, 5 *fascinam facere* **a** cum reliquis codicibus (*f. fec̃e* **A**) praeter **c** qui *f. face*, item c. 38, 4 *coactos* **a** contra **c** qui *coctos* praebet.

Pauca quae supra attulimus scripturae specimina, cum inter se exstantes codices faciunt interdum dissonos, tum modo hunc librum modo illum a Florentino monstrant abhorrentem. nam satis si habeamus ad aliquod redire scripturae specimen quod supra adnotauimus, *expinsi lar* (c. 2, 4) Florentini scripserat librarius (item **cna**) quod *expinsi iar* in **A** legitur et in **f** et in **d** (*expinsiuar* **m**) atque praef. 1 *sic habuerunt* (item **Amnad**) quod in duobus apographis **cf** *sic hoc habuerunt* est[2]). praeterea *cribum* (c. 25) **FAdc** *-brum* **famn**; *uirisicca* (c. 39, 1) **FAm**

---

1) est in c. 141, ubi precationes profert Cato ad agrum lustrandum, locus (§ 4) cuius in contextu uerba a *lactentibus* ad *taurilibus* triformiter **A** (uid. supra, p. Csq.), dupliciter aliqui manuscripti tradunt recentiores. nam — ut in libris consistam a me adhibitis — praeter **d** et **f** qui semel (at dissonanter: *lentibus* eqs. **d**; *lactentibus* eqs. **f**) ista tradunt uerba, in **a** et **n** et **c** hanc scripturam, *lentibus* ... *taurilibus lactentibus* [*laten-* **c**] ... *taurilibus* inuenies. eadem uerba ita duplicauit **m** ut *lactentibus* utroque loco scriberet atque *uel issces* (sic!) post *teissces* (sic!) 'priore' tantummodo loco adderet.

2) haec scriptura, ni fallor, ex *sic* [*hoc*] *habuerunt* orta est.

ndf *uiti sicca* **ac**; *uiti* (c. 1, 2) **FAan** (*uiti* corr. *uti* **n**) *uti* **mcdf**; *coactos* (c. 38, 4) **F** cum reliquis codd., praeter **c** (*coctos*, item $\mathbf{A}^2$ [$\mathbf{A}^3$?]), cett.

Hisce discrepantiis, quas non modo inter codices aduertimus exstantes sed etiam inter ipsos et Florentinum uetustum, tanta ac tam arta respondet adfinitas (et quod ad Catonis apusculum attinet et quod ad Varronis libros) ut per uarios gradus omnes qui sunt in manibus libri manuscripti ad **F** redire uideantur.

At fieri potuit ut ab archetypo, e quo **F** fluxit, duo manarent apographa gemella inter se quam simillima: quorum alterum (***Φ***) Florentini fuit pater, alterum (***Φ'***), uno aut altero intercedente codice, fons fuit Parisini.[1])

Utcumque se ea res habuit, non est, mea quidem sententia, infitias eundum quin optimae notae codex iudicetur Florentinus deperditus[2]). afferunt huic libro auctoritatem cum 'subscriptio' illa[3]) 'hucusque de duobus emendaui hinc de uno exemplario tantum' quae, ad scrupulositatem probandam apta, in eius marginibus exstabat, tum mendi notae quas locis deprauatis librarius hic illic adposuerat. nec minore consideratione est notandum, Florentino in codice non modo Catonem et Varronem et Columellam, sed etiam Gargilium Martialem olim fuisse[4]), cuius operis

1) uid. quae disputaui in libro, quem Introd. al de a. c. di Catone (Roma 1952, 91, adn. 142 = Messina 1962², 84, adn. 136) inscripsi.

2) nescio quanam adductus causa in sua editione Radulfus Goujard haec indubitanter adfirmet (Intr. p. XLIX): 'La supériorité du *Marcianus* n'a été affirmée par Politien et Victorius que par rapport à des manuscrits récents, *m* en particulier; elle était certainement moins grande par rapport à **A**'.

3) nam subscriptionum formulas in memoriam quodammodo redigunt uerba ab librario ipso exarata (uid. supra, p. XL, adn. 1) *hucusque de duobus* eqs., in quibus dicendi quaedam elegantia accurata aduertitur et sine molestia diligens.

4) uid. supra, p. LIII ac praeterea Vict., praef. ad Explic. in Catonem (Lugduni 1542), p. 4: 'Hoc autem relinquere nolui, quin notum facerem, ut uetustas huius libri [i. e. Florentini] intelligeretur, qui illis temporibus scriptus fuit, quibus alij adhuc scriptores reperiebantur, qui postea negligentia hominum, aut seculorum iniquitate perierunt. Ille autem si totus integerque conseruatus esset, et Iunium Columellam fortasse emendatiorem, et alium, quo caremus, non negligendum scriptorem haberemus'.

agricolaris palimpsestus Neapolitanus IV A 8, ex Bobio oriundus, reliquias nobis tradidit paucas.

Erant in F, qui minusculis exaratus litteris ab exemplario (*Φ*) manauerat minusculis item (ut uidetur) litteris conscripto, alterae lectiones, quas librarius ex antigraphis x et z in marginibus uel inter uersus adscripserat. hinc lectiones *modulos* (c. 20, 2) et *nocebit* (c. 95, 2), quas contra *modiolos* et *nascetur* Florentini librarius adnotauerat ex alterutro codice petitas, in f fluxerunt[1]); nec primariam Florentini scripturam ·*q̄*· (c. 112, 3) et *de scopio* (ibid.) retinuit a, qui item alteras lectiones scripsit *quadrantalia* et *de scōpione*; item in c *quadrantarium* (c.106,1) inuenies, quam contra ·*q*· ex alio codice adnotauerat Florentini librarius.

Quot manus emendatrices passus sit liber Florentinus quo minus norimus impedit codicis amissio[2]). ita, e. g., adnotatio *l alias plus*, quae in margine legitur codicis Parisini contra *pius* (praef. 4), utrum in Florentino quoque fuerit nescio; f tamen, quem duas recepisse alteras lectiones *modulos* et *nocebit* scimus, *plus* pro *pius* scripsit[3]). at si altera manus — quod uerisimillimum uidetur — uel plures hic illic castigando codicem illum perpolire temptauere[4]), potuerunt ex F apographa oriri, in quae cum uetustae tum recentiores inrepserunt emendationes.

---

1) *nocebit* pro *nascetur* in d quoque legitur.

2) potuit Politianus, item Victorius emendationes uel adnotationes tantummodo memorare quas Florentini librarius ipse exarauerat, illas praeteriens uterque quae aliorum manui debebantur.

3) aduertas hac in re uelim librarium codicis f sic in c. 14, 4 scripsisse; *quę non erit unde quarta pars non erit ul' aberit* (pro *pars aberit*). item ex lectione *Sclibplitam* (an *Sclibplrtam?*), quam in capitulorum indice (LXXXVII) praebet f, adducimur ut fingamus in exemplari huiusce codicis Laurentiani manum emendatricem *b* supra *p* notauisse; nec aliter res sese habet in lemmate XL, ubi scripturam *reserantur* (pro *serantur*) ex *se*re*rantur*, ni fallor, oriri potuisse suspicor (in π *serentur* legitur).

4) potuit illud *densa*, de quo supra (p. LV, adn. 3) disputauimus, altera manus adnotare.

IV.

In difficilem incidit nodum qui, Catonis librum cum peruolutet de agri cultura, quaerat nonnulla quo pacto sint explicanda quae iterata ibidem deprehendit eademque inter se interdum repugnantia. hanc rem uoluerunt alii (Keil, Reitzenstein, Weise) eo debuisse quod liber posterioribus temporibus retractatus esset; censuerunt alii, in quibus principem optinet locum Iosephus Hörle, opus ex libris ut ita dicam domesticis constare qui in opusculum unum conglobati modo limam sunt persecuti modo etiam rudes extitere inchoatique. rem et ipse tetigi in libro qui 'Introduzione al De agri cultura di Catone' inscribitur: neque quid addam habeo.

Alia inter innumeras exoritur quaestio eademque ad editorem pertinet Catoniani opusculi, quid de summario sentiendum sit deque capitum inscriptionibus[1]), sintne scilicet utraeque res genuinae existimandae an a Catone alienissimae. inerant enim in Florentino deperdito inque libris plerisque insunt exstantibus et capitulorum index qui statim declarat quid in singulis capitibus quaeri possit inuenirique, et rubricae unicuique antepositae capiti[2]).

Nonnulla exstant lemmata in summario atque in rubricis quae nihil cum exordio capitum habent commune; in isdem tamen, in summario dico inque rubricis, prima uerba iterata plerumque offendis quae in contextu singula aperiunt capita.[3])

1) uid. in uniuersum Mutschmann, Indices und Kapitelüberschr. im ant. Buch, Hermes 46, 1911, 93sqq.; Friderici, De librorum antiquorum capitum divisione atque summariis. Accedit de Catonis de agricultura libro disputatio, Marpurgi 1911; Birt, Zum Proöm. u. d. Summarien der caton. Schrift De agricultura, Berl. philol. Woch. 1915, 922sqq.

2) numeris singula lemmata in rubricis inque summario non notauisse Florentini librarium certo scimus (supra, p. LX): item π et, ut uidetur, exemplar, e quo manauit liber Parisinus (uid. supra, p. XCIII). nec numeros inuenies in codice c.

3) CLXII capitibus, ex quibus (ab editione Veneta a. 1514 impressa) constat Catonis opusculum, CLXX respondent lemmata in summario inque rubricis. nam c. 2 = lemm. II + III; c. 3 = IV + V; c. 13 = XV + XVI; c. 33 = XXXVI + XXXVII;

At et aliqua re uera deprehendis lemmata quae, τὸ capitum 'incipit' etsi resipiunt, plus semel aliquid praebent quod cum summarium rubricasque propri iuris facit tum summarium dissonum ab rubricis exhibet.

Ita in lemm. XXIV (summ. et rubr.) non *Cupam quo modo facias* (uel *C. sic facito*) legimus, sed *Cupam quo modo aedifices*, ubi *aedifices* difficilior, ut ita dicam, lectio uidetur quam *facias*, in lemm. XXVIII (summ. et rubr.) *Vua cocta ut seruetur* non *Vinum coctum ut seruetur*[1]); in lemm. XXIX (summ. et rubr.) *Vindemia facta ut uasa torcula subligentur*, ubi imparati insperatum deprehendimus uerbum *subligentur*; in lemm. XXXI (summ. et rubr.) *Oleas et reliqua semina cum seres quo modo seras*, ubi aduertas uelim et incusatiuum qui dicitur obiecti interni (*semina seres*) et uerbi *serere* epanaphoram (*seres ... seras*) minime insulsam; in lemm. LII (summ. et rubr.) *Olea quo tempore putetur*, non *Oletum* uti in contextu; item in lemm. LXXXVIII (summ. et rubr.) hypocoristicon *globulos* Catonis decet sermonem[2]).

Nec omnia dixeris summari capitula eodem esse tenore atque rubricas, ut summarium habeas quasi rubricas in unum collectas atque redactas.

---

c. 34 = XXXVIII + XXXIX; c. 37 = XLII + XLIII; c. 38 = XLIV + XLV; c. 43 = L + LI; c. 50 = LVIII + LIX; cc. 112. 113 = CXXI; c. 115 = CXXIII + CXXIV.

1) potest et de scriptura *V⟨i⟩na cocta ut serue⟨n⟩tur* cogitari (in rubr.: *Vua cocta ut seruentur* [sic!]).

2) memineris uelim scripturam quoque *Inuoluolus*, quam Keil et Goetz, exstantibus libris freti manuscriptis, in summario (lemm. CIV) posuerunt, contra Politianum qui *Conuoluolus* scripturam in Florentino inuenisse uidetur. ego *Conuoluolus* scripsi, cum hoc persuasum habeam, scripturam quae in rubrica deprehenditur *Inuoluolus* (*Inuoluolus conuoluolus in uinea ne siet*) genuinam *Conuoluolus* in libris exstantibus expulisse. quod ad rubricam attinet, suspicatus est Goetz (praef., p. VI) 'glossemate subnatum esse illud *inuoluolus* ad exemplum eorum quae Corp. gloss. lat. vol. IV p. 467, 7 leguntur: *convolvens involvens*'. ego *Inuoluolus* ad *Conuoluolus* doctum quendam uirum adnotasse censeo, qui Plini memor (n. h. 21, 23: 'est flos non dissimilis illi [sc. lilio] in herba, quam 'conuoluolum' uocant, nascens'), ne de herba conuoluolo cogitandum esset monere cum uoluisset, sed de uermiculo 'qui se inuoluit pampino' (Paul. Fest. 100, 2 L.) glossema adposuit *Inuoluolus*.

Est operae pretium praecipuas indicare discrepantias, quae inter summarium atque rubricas aduertuntur[1]):

	summ.	rubr.
XXXIV	*Ad oleam cogendam quae pares*	*Ad oleam cogendam quae pares. oleam cogendam et efficiendam locato*
L	*Sulcos quo modo fodias*[2])	*Sulcos quo modo facias*
LXVII	*Pulmentarium familiae*	*Pulmentarium familiae quantum detur*
CXVII	*Vinum si uoles experiri duraturum sit necne*	*Vinum si uoles experiri*
CXVIII	*Vinum asperum quod erit lene et suaue si uoles facere q. a. m. facias*	*Vinum asperum lene fieri*
CXVIIII	*Vt odorem malum eximas de uino quid facere debeas*	*Odorem deteriorem demere*
CXX	*Si uoles scire uinum aquam habeat necne quid facere debeas*	*Si uoles scire uinum aquam habeat necne*
CXXI	*Vinum coum si uoles facere q. a. m. facias*	*Vinum coum si uoles facere*
CXXII	*Vinum concinnare ut aluum bonam facias*	*Vinum si uoles concinnare ut aluum bonam faciat*
CXXIII	*In uinum mustum ueratri atri manipulum coicias ut bonam aluom facias*	*In uinum mustum ueratri atri*
CXXIIII	*Vinum ad aluum mouendam quo modo facias*	*Vinum ad aluum mouendam*
CXXV	*Si lentim seruare uis quid facere debeas*	*Lentim quo modo serues*
CXXVII	*Oleam albam quam secundum uindemiam si uti uis q. a. m. condias*	*Oleam albam secundum uindemiam quam utaris*
CXXVIII	*Epityrum album nigrum uarium q. a. m. ex oliuis facias*	*Epityrum album nigrum uariumque sic facito*
CXXVIIII	*Mustum si uoles totum annum habere quid facias*	*Mustum si uoles totum annum habere*

1) lemmata CXLIII et CXLVIII – CL omitto, quae in summario solummodo locum habent suum.
2) uid. infra, p. CXIX, adn. 2.

	summm.	rubr.
CXXX	*Mustacios quem ad modum facias*	*Mustaceos sic facito*
CXXXI	*Vinum concinnare ad lotium si difficile emittit uissica*[1])	*Vinum concinnare ad lotium*
CXXXIII	*Vt canes interdiu conclusos habeas ita ut noctu acriores sint*	*Vt interdiu canes clausos habeas*
CXXXIIII	*Vinum murteum q. a. m. facere debeas*	*Vinum murteum sic facito*
CXXXV	*Ad tormina et si aluos non consistet si taeniae et lumbrici molesti erunt quid facere debeas*	*Ad tormina et si aluus non consistet et ad taenias et lumbricos*
CXXXVII	*Si habitationem delutare uis*	*Habitationem delutare*
CXXXVIII	*Aream quo modo facias*	*Area quo modo fiat*
CXL	*Piro florenti ut dapem pro bubus facias*	*Piro florente dapem pro bubus fieri*
CXLIIII	*Quem ad modum tunicas ceterasque res et ubi emas*	*Tunicae et ceterae res ubicumque emantur*
CXLV	*Politionem quo pacto redemptori dare debeas*	*Politionem quo pacto dari oporteat*
CXLVII	*Vt boues feriis iungere tibi liceat*	*Boues feriis coniungere licet*
CLVIII	*Lex pabulo locando*	*Lex pabulo*
CLVIIII	*De fructibus ouium uendundis*	*Fructus ouium qua lege ueneat*
CLXV	*Brassica quot medicamenta in se habeat*	*De brassica quot medicamenta habeat et aliis ad medicinam pertinentibus*
CLXVI	*Aluum si uoles deicere, quid facere debeas*	*Aluum deicere hoc modo oportet*
CLXX	*De salsura ofellae puteolanae*	*Salsura pernarum ofellae puteolanae*

1) *uessica* ex **F** scripserat Politianus, qui tamen *e* litterae, ni fallor, litteram *i* superimposuit, ut *uissica* legeretur. hanc scripturam (quam etiam in Parisino, in quo lemma decurtatum *Vinum concinnare ad lotium* legitur, olim fuisse, supra, p. XCVII, conieci) ego retinere malui quam *uesica* (sic **f**; *uisica* **c**; *uessica* editores teubneriani). de *uissica* uid. Mørland, Die lat. Oribasiusübers., Osloae 1932, 58.

Ne omnes recenseam discrepantias inter summarium atque rubricas, tantum sat est intellegi melioris notae lemma modo in summario deprehendi modo in rubricis. utputa l. CXIX (summ.) *Vt odorem malum eximas de uino, quid facere debeas* contra rubricam *Odorem deteriorem demere uino*, quae prima uerba iterat contextus uel lemma CXLV (summ.) *Politionem quo pacto redemptori dare debeas*, in quo uox *redemptor* deprehenditur quam et in rubrica (*Politionem quo pacto dari oporteat*) et in contextu capitis 135 incassum qaeritabis. at lemma CXLIV (rubr.) *Tunicae et ceterae res ubicumque emantur* quantum praestet capitulo *Quem ad modum tunicas ceterasque res et ubi emas* nemo est quin uiderit[1]). item melioris notae uidetur scriptura *fodias* (l. L) in summario[2]) quam in rubr. *facias*.

Non faciunt haec omnia ut nos Roberto Friderici concedamus 'Catonem ipsum et summarium et rubricas confecisse'[3]). nam quin et hae et illud (quae hic illic falsa nonnulla praebent atque aperte uitiosa[4])) tales in Catonis libro ordinem testentur et materiam minime dubitaueris quales Florentinus codex et exstantes libri manuscripti tradidere.

Ubi igitur summarium putaueris et rubricas Catonem confecisse, Catonem quoque necesse est ut habeas talem

---

1) uid. etiam supra, p. XLIX, adn. 1.

2) uerbis *Vites & oleae quomodo infodiantur* in editione Meruliana deletis, sic in summario lemma L e Florentino exscripsit Politianus: *Sulcos quomodo fodias*. tradunt econtra libri qui exstant manuscripti *Sulcos quomodo facias*, eundem igitur iterantes textum qui in rubrica legitur. confiteor me mecum quaesiuisse an Merulianum illud *infodiantur* in oculis perstans Politiani (uid. etiam supra, p. LXXXIII) scripturam *fodias* generare potuerit.

3) Friderici, diss. l., 82.

4) ita e. g. in c. 37, 5, cui praepositum offendis lemma XLIII (*De uinea et arboribus putatis*), caue ne putes Catonem de uinea disputauisse deque arboribus putatis: de sarmentis enim fit in c. 37,5 sermo quae de uinea et arboribus putatis degerenda sunt.

(tam scilicet indigestum) hunc librum palam proferre in animo habuisse, qualem nos hodie habemus. at si libro summarium demat editor et rubricas utpote Catone aliena, cur et alia non eximat ipse quae in libro exstant a Catone item abiudicanda non intellego. igitur qualem Florentinus codex Catonis librum de agri cultura tradidit talem cum recta μέϑοδος admoneat edendum esse, et summarium et rubricas in mea editione accepi: neque in meam intellegentiam cadit qua ratione Goetz — qui summarium et rubricas Catonis esse negauit[1]) — in apparatum rubricas relegauerit, summarium in prima pagina posuerit[2]).

V.

Efficit Florentini codicis amissio ut Catoniani opusculi editor (tempus est iam de ratione loqui huiusce editionis) ad Merulae confugiat exemplar, quod Politianus pluribus locis scriptura ditauit e uetusto illo codice (**F**^{p}) prompta. at offici sui partes non impleret editor, parui si duceret Petrum Victorium, qui quantasquantas Florentini codicis lectiones et qualesquales in Explicationibus memorauit (**F**^{v}), alter (non alius!) testis exstat idemque reuerendus[3]).

Igitur magnopere contendi atque elaboraui ut tum Merulianae editionis exemplar a Politiano correctum, quippe quod Florentini codicis instar exstet, quam fidelissime repraesentarem atque exprimerem atque effingerem; tum ut ante oculos proponerem atque manifesta redderem testimonia Victori, qui Politiano aut

---

1) praef., p. VI: 'lemmata illa una cum rubricis ex quibus pendent ut satis vetusta esse Fridericio et Birtio ('Krit. und Hermen.' p. 12) concedo ita Catonis esse cum H. Mutschmann ('Berl. philol. Wochenschr.' a. 1912, p. 1800) nego'.

2) item Schneider (qui summarium solummodo edidit), Keil aliique.

3) qui, in lectionibus Florentini codicis proferendis, saepe uetustissimum exemplar expresse nominauit, nonnumquam, illud uolumen cum manuscriptis minus antiquis commiscens, locutione usus est 'in libris antiquis' (uel sim.).

emendanti aut tacenti saepe consentit, dissentit quidem aliquando. hac in re perdifficile statim animaduerti, quod ad artem quoque typographicam pertinet, **V** (Merulae uidelicet lectiones quas Politianus non correxit) ab $\mathbf{F}^{p}$ distinguere, nisi forte Meruliani exemplaris imaginem in adnotatione critica reddidissem. neque satis habui Keili rationem sequi: qui, in apparatu critico conscribendo locupletissimo (a. 1884), quamquam iuxta Florentini lectiones, quas nota **P** usus multas ille protulit, falsam memorauit scripturam a Merula proditam (v), **P** tamen ad ea persaepe posuit quae siglo **V** simul cum **P** erant potius indicanda; et permulta cum tacuisset quae uel **V** uel **P** praebent exstantibus congruentia manuscriptis, dubitationem pluries inicit utrius, **V** an **P**, scriptura sit.

Igitur uarifarias adhibui notas, quarum numerositatem uitilitigatores naso ne suspendant et subductisupercilicarptores timeo. ego quidem – uti in hanc rem Plini auunculi uerba adcommodem – ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus uictis utilitatem iuuandi praetulerint gratiae placendi.

Hamulis ⌞ ⌟ inclusi quae e Florentino in editione Veneta expressit Politianus uel additamenta uel emendationes: itaque intra illos $\mathbf{F}^{p}$ inuenies, **V** extra illos. at duplicibus ⌞ ⌟ scripturam significaui, quam, ab **V** uel a $\mathbf{F}^{p}$ dissonam, exstantes aut cuncti aut plerique codices uel $\mathbf{F}^{V}$ potiorem praebent[1]). praeterea[2]) ad scripturam indicandam quae, in **V** uel in $\mathbf{F}^{p}$ omissa, in exstantibus deprehenditur libris uel cunctis uel plerisque, uncinos { } adhibui; econtra monet laterculus ° aliquid Politianum in editione Meruliana reliquisse quod in manuscriptis frustra quaeritaueris. denique, quo clarius eluceat quantopere

---

1) aliquando tamen in exhibenda scriptura in $\mathbf{F}^{p}$ mendosa, quam hic illic unus aut duo aut plures emendatam praebent exstantes manuscripti, ego non uncinulos ⌞ ⌟, sed, prout res postulabat, modo litteras adhibui inclinatas modo uncos ⟨ ⟩.

2) uerborum ordinem, quem v vel **V** turbatum tradidere, uncinulis ⌜ ⌝ et ⌜ ⌝ indicaui, ut his Politiani incuriam, libris fretus exstantibus manuscriptis, dissignarem, illis Politianum denuntiarem e Florentino emendantem.

Politianus adnotandae ueteris codicis scripturae elaborauerit, recta hastula | denotaui quae uir ille doctissimus uerba uel litteras in editione Meruliana Florentini codicis ope expunxit[1]).

Praeterea puncta subieci lectionibus illis quas in Florentino codice extitisse Petrus Victorius in Explicationibus suarum castigationum et in Catonem testificatur et in Varronem. non semel enim accidit ut Petrus, de Varronis scripturis cum dissereret quas in Florentino inuenerat, Catonis quoque opusculi memoraret lectiones in eodem libro manuscripto exstantes.

Duo igitur parietes, ut aiunt, de eadem fidelia dealbaui: nam, ad deperditi Florentini codicis scripturam restituendam, duas ego, editione consistens Meruliana[2]), calcaui uias: alteram, qua certas scripturae illius reliquias per Politianum atque Victorium designarem; alteram, qua exstantium manuscriptorum ope probabilia reciperarem illius codicis uestigia. igitur, hamis ⌊⌋ ⌈⌉ (et hastula |) fretus, Politiani, punctis suppositis Victori reddidi testimonia; at silentium quod in editione Meruliana habuit Poli-

---

1) igitur, e. g., in c. 6, 2 'f|e⌊r⌋undo' hoc admonet, Politianum, Florentino codice nisum, aliquid post *f* expulisse et *r* ex eodem codice adnotauisse: nam 'foecundo' scripserat Merula. quod ad hanc attinet hastulam, scito illam, si proxime inuenias positam uel primam uel nouissimam uocabuli litteram, aliquid significare a Politiano expulsum esse quod in editione Meruliana uocabulum illud uel aperit uel cludit (e. g., rubr. c. 81 '|Erneum' = 'Herneum' Merula; 'erneum', del. *H*, Politianus; c. 22, 1 'mortari|' = 'mortarii' Merula; 'mortari', del. *i*, Politianus); ipsam tamen, si mediam offendis duo inter uocabula, unam significare uel plures uoces a Politiano Florentini codicis ope esse deletas (e. g., c. 42 'altero modo. | quod' = 'altero modo inserito. Quod' Merula; 'altero modo. quod', del. *inserito* Politianus; c. 8, 1 'habebis | si non | erit' = 'habebis: foenum non deficiet. si non et erit' Merula; 'habebis si non erit', del. *foenum non deficiet* et *et*, Politianus). — falsam Merulae scripturam *caeteros* (*-a*, sim.), *foemina*, *coena*, quam uno duobusue locis Politianus correxit, silentio et in contextu transii et in adnotatione critica.

2) praeter unum locum, i. e. c. 18, 1. in quo caue ne credas scripturam *rora* in editione quoque Merulae exstare: uid. infra, p. CXXIII.

tianus, si quando non erat optinendum, quadrifariis notis (i.e. ⸤ ⸥ { } ° ⸢ ⸣) ex manuscriptis rupi[1]).

Itaque contra scripturam, quam in contextu duplices amplectuntur hamuli (⸤ ⸥), illam in apparatu dedi, quam **V** aut sola praebet aut uno pluribusue comitata libris manuscriptis. e. g.: c. 22,1 'm⸤i⸥l⸤i⸥arium' in contextu, in apparatu 'molarium' nullo siglo addito nil aliud ualet nisi: 'molarium' **V**, 'miliarium' codd.; c. 122 'iunip⸤i⸥rum' in contextu, in apparatu 'iuniperum **Vda**', i. e. 'iunipirum' **Amcfn**, 'iuniperum' **Vda**.

Item scripturae, quae in contextu his notatur hamulis ⸤ ⸥ quaeque, ut diximus, Politiani manum monstrant e Florentino uetusto emendantem, illa saepe respondet in apparatu quam codices uel omnes uel nonnulli aliam praebent (e. g.: c. 156, 1 '⸤h⸥oleribus' in contextu, in apparatu 'oleribus' tantummodo, i. e. 'holeribus' **F**p, 'oleribus' quos contuli codices; c. 112, 2 'des[⸤c⸥]iderit' in contextu, in apparatu 'desuderit *ut uidetur* **A** deciderit **a** desederit **A**[2] (**A**[3]*?*) **v**, *em.* **c**': i. e., 'desciderit **F**p necnon quos contuli codices praeter **A** (desuderit, *ut uidetur*), **a** ('deciderit') et **c** ('desiderit') et **A**[2](**A**[3]*?*)**v** ('desederit'). qua in re animaduertas uelim nos, quibus in opusculo Catoniano recensendo septem omnino praesto fuerunt libri (i. e. **Amncfda**), illos in apparatu nominatim memorauisse codices quibus dissona deprehenditur scriptura ab illa in contextu accepta. ita, e. g., c. 132, 1–2 'Iupiter' in contextu, in apparatu 'iuppiter *utroque loco* **A** iupp- *priore*, iup- *altero loco* **c**' nil aliud ualet nisi '*priore loco* 'Iupiter' **Vmnfda**, 'Iuppiter' **A c**; *altero loco* 'Iupiter' **Vmnfcda**, 'Iuppiter' **A**'.

Praeterea quae contra scripturam 'contra | [r]ora' (in contextu adhibitam capitis 18, 1) adnotaui: '*em.* **F**p *codd.*', nihil aliud significant nisi 'contra rora' [re uera '-traro-'] **F**v 'contra ora' **F**p [monstrat hastula |, quam inter 'contra' et 'ora' posui, Politiani manum e Florentino emendantem: in Merulae namque scriptura 'contractiora' ille 'ctio' deleuit, ut 'contra ora' legeretur] necnon exstantes libri manuscripti. item c. 14, 5 '⸤m⸥anipre⸤t⸥ium' in contextu, in apparatu 'man.] -cium: manipretium **Aamn** inani pretium *rell.*', i. e. 'maniprecium' **F**p (uel potius **F**p, quod ad primam litteram tantummodo spectat; quod ad reliquas, **V** ubi '-cium', non '-tium' legitur) 'manipretium' **F**v**Aman** 'inani pretium' **cdf**.

Apparatum (◍) ne inanibus refercirem adnotationibus caui. quod ad scripturae discrepantiam pertinet manuscriptorum, praecipua notaui; quod ad coniecturas, eas maxime reddidi quas memoratu dignas uiri docti post

1) ad ea quae addenda Merula addidit quaeque Politianus e uetusto deleuit exemplario, uncos hosce adposui duplices ‹ ›.

Keili editionem proposuere, nonnullis tamen exceptis quae in antiquis editionibus uel commentariis locum habent suum[1]).

Apparatui testimonia (Ⓣ) praetexui; testimoniis locos subieci similes (Ⓢ)[2]). quibus si alios adiciendos inueneris, in Columellae sententia acquiescas uelim, in magna silua uenatoris esse feras quam plurimas capere nec cuiquam fuisse culpae non omnes cepisse.

Praeterea in libris laudandis uirorum doctorum intra paucos steti: nam longius erat et ad commentarium aptius omnes laudare uiros qui docti de Catone georgico sunt optime meriti. ceterum eos qui legent oro ut commentarios Keilianum, Sergeenkanum (-Protassouianum), Łosanum, Thielscherianum peruolutent, adnotationes perpendant quas perscripsit Schneider quasque Kun quasque Goujard, Hörlei inspiciant opus.

Eorum qui Catonis librum recensuerunt recentiores[3]) primus est cum temporum gratia tum nominis laudisque omnis Henricus Keil. qui, philologus eruditissimus atque instructissimus, nouissimum trilustrium uitae suae scriptis georgicis dicauit et Catonis et Varronis. nam a. 1884 (duobus igitur annis postquam Varronis rerum rusticarum libros ediderat) Catonis editionem maiorem in luminis auras emisit, quam docto commentario et laborioso adauxit, a. 1894, quo a uita discessit, edito. nec illi uita suppetiit ut impressam uideret Catonis editionem minorem,

---

1) at in his memorandis parcissimus fui. ita exempli gratia frustra in adnotatione critica exquires lectionem (c. 139), quam in opere clarissimo Barnabae Brissoni De formulis et sollemnibus populi R. uerbis (Parisiis 1583, p. 855) inueni '*sacri coerandi*, idest, *curandi*'.

2) in textu afferendo scriptorum, quos in testimoniis colligendis locisque similibus citaui, hasce habui in manibus editiones: Plini Budéanam, Columellae Vpsaliensem, Marcelli Empirici Berolinensem, reliquorum Teubnerianam.

3) de uiris doctis qui ante Keilium Catonis librum ediderunt, uid. Keil, Observ. crit., 21 sqq.; Pighi, Appunti per un comm. al libro di Catone sull'agricultura, Como 1944, 6 sq. editionum Catonis indicem ab a. 1470 usque ad a. 1635 composuit Jo. Matthias Gesner (Script. r. r.^{2}, I, Lipsiae 1773, XLIX sqq.).

quam a. 1895 in chartis relictam edendam curauit atque uiris doctis proposuit Georgius Goetz. hic seriem aperit editionum Catonis opusculi, quae saeculo XX hactenus apparuere. quinque enim annis post Goetzi editionem, a. 1927 suam luci dedit Barcinone Saluator Galmés: qui Goetzi uestigiis etsi institit, nonnullis tamen locis Florentino uetusto adeo est obsecutus ut scripturam apertissime falsam ridicule reciperet. ex *ordine* – *nisi rationem ducas editionis, quam, uestigia* Goetzi plerumque calcans, a. 1934 palam protulit Hooper[1]) – meae sunt partes a. 1962[2]); dein aliorum ueniunt uices, Pauli Thielscher (a. 1963), Iosephi Kun (a. 1966), Radulfi Goujard (a. 1975).

Mihi quidem curae fuit, ut Florentini deperditi lectiones quam fidelissime obseruarem[3]), haud tamen illa Galmési incauta simplicitate[4]). igitur Palladius quae monuit ad Catonem cum accommodarem, nullas artes nullamque eloquentiam formatori agricolae esse adhibendas quippe qui ipsam debeat aestimare personam cui sit praecepturus, *capeat* (c. 11, 2)[5]) e. g. cum Florentino scripsi et *furnacem* (c. 16) et *pulenta* (c. 108, 1) et alia quae

1) Marcus Porcius Cato, On Agriculture. Marcus Terentius Varro, On Agriculture, with an English translation by W. D. Hooper, revised by H. B. Ash, London-Cambridge, Mass. 1934.

2) digna quae memoretur Aureli Iosephi Amatucci esset editio (quam, a. 1944 Comi publicatam, in adnotatione critica semel iterumque laudaui), nisi uir ille doctissimus – paucissimis tantummodo mutatis – librum ita fere descripsisset uti post Keilium in aedibus Teubneri ediderat Goetz.

3) nec commodum statui Paulum Thielscher sequi, qui in cc. 144 et 156 – 157 paragraphorum ordinem turbauit ab Florentino traditum atque a libris exstantibus manuscriptis.

4) qui dum aliis locis emendationes comprobat uel uacuas uel dubias, aliis ex F^{p} nonnulla, absurde quidem, accipit ut *stergerarias* (c. 10, 3), *tracies* (c. 37, 1), *saucta* (c. 37, 2), *lentibus* (c. 141, 4), cett.

5) nescio an uulgaris illa forma *capebat* quae apud Commodianum (apol. 120) legitur, declinationem postulet uerbi *capeo*. – quod ad formam attinet probabilius retinendam *oliariam* (c. 2, 5; uid. etiam cc. 10, 4; 135, 2; al.), hoc mihi habeo persuasum, lectionem *hodie* a codicibus (et ab V) traditam in c. 144, 1 ex *holię* (de scriptura 'holea' uid. Thes. l. l., s. u. ,,olea') ortam esse.

uulgaris sunt sermonis propria[1]); at *plaustrum* (cc. 5, 6; 63 [ubi tamen et *plo-*]) et *Manlii* (c. 145, 2; *-li*, c. 144, 1. 2) et *utitor* (cc. 117; 119; 127, 1 *-to*, cc. 96, 2; 107, 2; 123; 126) et *thuris* c. 127, 2 (*thure*, c. 134, 1 [*tu-* tamen c. 70, 1]) et *sis* (c.124) et huiusmodi alia[2]) uel ab **F**[p] uel a **V** et recentioribus manuscriptis accepi contra Keilium Goetziumque (*plostrum*, *Manli*, *utito*, *turis*, *sies*), non quia e. g. persuasum haberem *plaustrum* Mestriano, ut ita dicam, more Catonem in cc. 5, 6 et 63 uel *thuris* et *thure* in cc. 127, 2 et 134, 1 cum adflatu scripsisse et quam *sies* plenum *sis* imminutum ipsum maluisse, sed quia uanum censui uno uel altero loco orthographiam et grammaticam ueteri reformari dignitate[3]). quod si *Manli* cum Keilio Goetzioque scribendum est, cur isdem ducibus sit in scriptura *apicii* (c. 24) geminata *i* adhibenda non intellego. neque uniformiter uocabulum *fer(c)tum* ausus sum reddere: ego namque, **F**[p] uel **V** secutus, ipsum modo per 'ct' scripsi (c. 134, 2. 3. 4) modo per 't' (c. 134, 2. 4; 141, 4).

---

1) diu multumque dubitaui an in c. 80 scriptura tradita seruari posset *uorsato pr(a)estatoque*, in qua iuxta uerbum intentiuum *uorsare* aliud item auctiuum, *presare*, i. e. (cf. 'mesa' 'foresia' 'conpresa' et alia huiusmodi complura) *prensare*, Catonem adhibuisse mihi habeo persuasum. at de forma quoque frequentatiua *prensitare* cogitaui quae, littera *n* exempta, per syncopam (cf., e. g., c. 161, 2 *posturus*) fieri potuit *prestare*: igitur *prestatoque*, i. e. *pre(n)s(i)tatoque*. rem tamen in medium relinquere malui ac *prensatoque* satis habui in editione castigare.

2) *edant* (sic Keil in priore editione), non *edint*, scripturus eram in c. 53. forma enim *edunt*, quam in Florentino fuisse Politianus testatur (uid. etiam supra, p. LXX sq.), eo debetur, mea quidem sententia, quod Florentini librarius ex exemplario transcripserat in quo propter ductum internosci non poterant uocales *a* et *u* (uid., e. g., c. 18, 4 *altum* pro *altam*).

3) scripturae *melior* (c. 4), quae, a Politiano non correcta, in Parisino deprehenditur atque in **a** (uid. supra, p. CVIII), an sit lectio *melius* anteponenda, ab reliquis manuscriptis tradita et ab Victorio accepta, nescio. quod si ad congruentiam generis obseruandam grammaticus te monet ut *melior* legas, monstrant tamen Columellae (unum ut afferam exemplum) uerba (7, 8, 4) *paulo solidius caseus factus est* Catonem quoque scribere potuisse *fundus melius erit*. aliter Röding, o. l., 114.

Inconstantiam igitur formarum [1]) obseruaui quae in codicibus deprehenditur manuscriptis. qui profecto bene euenit atque forte fortuna ut sermonis Catoniani uestigia — quantula et qualia ea cumque sunt — contra annorum seriem custodirent grammaticorumque prauam lubidinem emendandi.

1) Keilium secutus maluit Goetz praepositionum *in* et *ad* et *sub* usquequaque in compositis custodire, item *con-* scribere ante *b, p, l.* at *inbuito*, e. g., nne an *m* et *colligito* geminata *l* an *conligito* non est quod quaeras atque labores, eo magis quod tum Politianum offendis inconstantem in compositis orthographiam e Florentino transcripsisse, tum compendia *ĩp-*, *cõb-*, *cõp-*, *cõm-* (quae, non aliter atque in codicibus exstantibus, in Florentino quoque fuisse cogitandum est) immutata in editione Meruliana reliquit Politianus. igitur praepositionum consonantes nouissimas in compositione modo mutaui modo retinui; scripturam tamen *tanquam* uel *circunf-* quam V praebet silentio mutaui.

SIGLA CODICVM*

F^{p}	= Florentini (Marciani) deperditi lectiones ab Angelo Politiano in editione principe (Venetiis 1472) adnotatae
F^{v}	= Florentini (Marciani) deperditi lectiones quas Petrus Victorius in Explicationibus suarum in Catonem et Varronem Castigationum (Lugduni 1542) adnotauit
F*	= consensus **F**^{p} et **F**^{v}
V	= editionis principis scriptura a Politiano non emendata
v	= editio princeps quam Georgius Merula uulgauit cura et artificio Nicolai Ienson Gallici Venetiis impressam
A	= Paris. 6842 A, saec. XII-XIII (de **A**^{1}, **A**^{2}, **A**^{3} uid. supra, p. LXXXIX)
m	= Laur. 30, 10, saec. XIV
a	= Brit. Mus. Add. 19 355, saec. XV
c	= Caesen. Malat. S. 24. 2. saec. XV
d	= Urb. Lat. 1328, saec. XV
f	= Laur. 51, 1, saec. XV
n	= Neapol. V A 8, saec. XV
π	= exemplar editionis rhegiensis (a. 1482), Neapoli in bibl. Nat. adseruatum (Incun. IX H 13): quod in summario, praefatione, cc. 1.2 (usque ad rubr. IV). 157 (§§ 1–2. 7–8) lectiones praebet manuscriptas ex codice quodam petitas
*Pol**	= hoc siglo ea indicaui quae memorabilia e marginibus (ut uidetur) Florentini codicis Politianus in margines editionis principis transtulit
Pol	= hoc siglo ea indicaui quae memoranda Politianus in marginibus adnotauit editionis Merulianae

(*) hic illic codicem quoque Laurentianum 51. 2 (= **b**) memoratum inuenies.

NOTAE ATQVE COMPENDIA

Praeter notas, quae usitatissimae ⟨addenda⟩ [delenda] †corruptelas *lacunas indicant, hisce usus sum (uid. etiam supra, p. CXXIsqq.):

⌊ ⌋	ad ea significanda quae in editione Veneta (= v) Politianus e Florentino uel addidit uel emendauit
⌊ ⌋	ad scripturam notandam quam ab **V** uel a **F**^{p} dissonam exstantes codices manuscripti (uel omnes uel plerique) modo soli praebent, interdum cum **F**^{v}
...	puncta supposita, si in textu exstant, Florentini scripturas significant quas Victorius testatur; si in apparatu, manum indicant aliquid expungentem
{ }	ad ea addenda quae uel **V** uel **F**^{p} tacuit
‹ ›	ad ea quae cum Merula uel manuscriptis addenda Politianus e Florentino deleuit
⌈ ⌉	ad uerborum ordinem in editione Veneta ex **F**^{p} commutandum
⌈ ⌉	ad uerborum ordinem in **V** e codicibus exstantibus commutandum
○	ad ea significanda quae reicienda Politianus in editione Veneta non deleuit
|	ad ea significanda quae uel pauca uel multa Politianus in editione Veneta e Florentino deleuit

In auctorum nominibus proferendis haec adhibui in adnotatione critica compendia:

Ahl	= A. W. Ahlberg, De traiectionis figura ab antiquissimis prosae scriptoribus Latinis adhibita, Eranos 11, 1911, 88–106
Amat^1	= A. G. Amatucci, censura Goetzi editionis, Boll. filol. class. 30, 1924, 39–44
Amat^2	= M. Porci Catonis De agri cultura liber. rec. A. I. Amatucci, Comi 1944
André^1	= Pline l'Ancien, Histoire naturelle livre XIV. Texte établi et commenté par J. André, Paris («Les Belles Lettres») 1958
André^2	= censura quam Antoni Mazzarino editionis (uid. infra Mazz^7) fecit J. André, Latomus 22, 1963, 291–292

Bach = Bach, De attractione quae dicitur inuersa apud scriptores Latinos, Progr. d. Bischöfl. Gymnasiums an St. Stephan zu Straßburg, Straßburg 1888

Baeh = W. A. Baehrens, Beitr. zur lat. Syntax, Philol. Supplb. 12, 1912, 233–556

Bann = W. Bannier, Wiederholungen bei älteren griech. u. lat. Autoren, Rh. Mus. 69, 1914, 491–514

Birt = Th. Birt, Zum Proöm und den Summarien der catonischen Schrift De agricultura, Berl. philol. Woch. 1915, 922–928

Bö = Th. Bögel, 'desido': Thes. l. l. V, col. 713

Bosch[1] = S. Boscherini, Grecismi nel libro di Catone «De agri cultura», Atene e Roma N. S. 4, 1940, 145–156

Bosch[2] = S. Boscherini, Lingua e scienza greca nel «De agri cultura» di Catone, Roma 1970

Brak = C. Brakman, Ad Catonis De agricultura librum, Mnemos. 5, 1937, 317sq.

Br-Grad = Fontes iuris romani antiqui ed. C. G. Bruns. post curas Th. Mommseni editionibus quintae et sextae adhibitas septimum ed. O. Gradenwitz, Tubingae 1909

Burr = E. E. Burriss, Cato agr. 83, Class.Journ. 21, 1925/1926, 221

Cap = U. Capitani, Catone, De agri cultura cap. 160, Maia N. S. 20, 1968, 31–38

Clau = W. Clausen, Cato, De agri cult. 14, 5, Philol. 110, 1966, 306sq.

Corss = W. Corssen, Origines poesis Romanae, Berolini 1846

Čupr = K. Čupr, Onomastický pohled na Catonova dílo De agri cultura, Listy filologické 89, 1966, 365–371

Desch = J. Deschamps, Sur l'expression 'locare operas', Mélanges Girardin, Paris 1907, 165sqq.

Di Prima = A. Di Prima, Per l'interpretazione di un luogo di Catone (De agri cultura VII, 1), Paideia 7, 1952, 288–290

Flu = P. Flury, 'labrum': Thes. l. l. VII 2, col. 813

Frank = T. Frank, Notes on Cato's de agricultura, Mélanges G. Glotz I, Paris 1932, 377–380

Frid = R. Friderici, De librorum antiquorum capitum divisione atque summariis. Accedit de Catonis De agric. libro disputatio, Marpurgi 1911

G = M. Porci Catonis De agri cultura liber. Post Henr. Keil iterum ed. G. Goetz, Lipsiae 1922 [huius editionis exemplar exstat photomechanice iteratum a. 1937]

G[2] = G. Goetz, censura Iosephi Hörle libri (uid. hic infra, s. Hö[1]), Gött. gel. Anz. 192, 1930, 32–45

Gem	=	W. Gemoll, Kritische Bemerkungen zu lat. Schriftstellern. II Programmbeilage, Liegnitz 1898
Goid	=	P. G. Goidanich, 'Nominare uetat Martem neque agnum uitulumque' (Cato r. r. CXLI, 4), Studi ital. filol. class. 10, 1902, 320–322
Gou	=	Caton, De l'agriculture. Texte établi, traduit et commenté par R. Goujard, Paris 1975
Gou^h	=	uid. hic infra
Gou^m	=	uid. hic infra
Hau^1	=	E. Hauler, Lexikalisches zu Cato, Arch. f. lat. Lexik. u. Gramm. 1, 1884, 582–584
Hau^2	=	E. Hauler, Zu Catos Schrift über das Landwesen, Progr. Wien 1896
Hau^3	=	E. Hauler, Zu Frontos Principia historiae, Wien. Stud. 38, 1916, 166–175
Hau^4	=	coniecturae, quas Edmundus Hauler fecit in plagulis corrigendis editionis Goetzianae (uid. supra G)
Hed	=	censura quam Antoni Mazzarino editionis (uid. infra, $Mazz^7$) fecit St. Hedberg, Gnomon 36, 1964, 43sqq.
Her	=	W. Heraeus, Beiträge zu den Tironischen Noten, Arch. f. lat. Lexik. u. Gramm. 12, 1902, 27–93
Heusch	=	H. Heusch, Das Archaische in der Sprache Catulls, Bonn 1954
$Hö^1$	=	J. Hörle, Catos Hausbücher. Analyse seiner Schrift De Agricultura nebst Wiederherstellung seines Kelterhauses und Gutshofes, Paderborn 1929
$Hö^2$	=	J. Hörle, Cruces Catonianae II, Philol. Woch. 50, 1930, 1101–1104
$Hö^3$	=	J. Hörle, Trapetum, R. E. VI A 2, 2187–2194
Howe	=	J. C. Howe, Cato De agricultura I, Class. Review 36, 1922, 72
Jord	=	H. Jordan, Sprachgeschichtliche Betrachtungen, Hermes 15, 1880, 1–21
$Jü\text{-}Th^1$	=	E. Jüngst – P. Thielscher, Cato und die Viktoriaten, Philol. 92, 1937, 331–343
$Jü\text{-}Th^2$	=	E. Jüngst – P. Thielscher, Catos Keltern und Kollergänge. Ein Beitrag zur Gesch. von Öl und Wein, Bonn. Jahrb. 154, 1954, 32–93
$Jü\text{-}Th^3$	=	E. Jüngst – P. Thielscher, id., ibid. 157, 1957, 53–126
K	=	consensus K^1 et K^2
K^1	=	M. Porci Catonis De agri cultura liber ex recensione H. Keilii, vol. I, fasc. I, Lipsiae 1884
K^2	=	M. Porci Catonis De agri cultura liber. Recogn. H. Keil, Lipsiae 1895

K[c] = M Porci Catonis De agri cultura liber ex rec. H. Keilii, vol. II, fasc. I: Commentarius in Catonis De agri cultura librum, Lipsiae 1894

Kroll = W. Kroll, Synt. Nachlese, Glotta 10, 1920, 93–108

Kron = H. Kronasser, Nugae Catonianae, Wien. Stud. 79, 1966, 298 sqq.

Kun = M. Porcius Cato, De agri cultura. A földművelésről. Latinul és Magyarul. Fordította és a jegyzeteket írta Kun József. A bevezető tanulmányt írta Maróti Egon, Akadémiai Kiadó, Budapest 1966

Lench = M. Lenchantin de Gubernatis, Il valore fonetico di m finale e un papiro d'Ossirinco, Boll. filol. class. 22, 1916, 199 sqq.

Leo = F. Leo, Gesch. d. röm. Literatur. I. Band: Die archaische Literatur, Berlin 1958 [= 1913], 270–276; 470–474

Löf[1] = E. Löfstedt, Philol. Kommentar zur Peregr. Aetheriae. Unters. zur Gesch. der lat. Sprache, Oxford-Uppsala-Leipzig 1936

Löf[2] = E. Löfstedt, Syntactica. Studien und Beiträge zur hist. Syntax des Lateins, I, Lund 1942

Lüb = U. von Lübtow, Catos leges venditioni et locationi dictae, Eos 48, 1956, 227–441 (Symb. Raphaeli Taubenschlag dedicatae III)

Luň = J. Luňák, Katonovo pravidlo o orbě, Listy filologické 49, 1922, 21–23

Lund = V. Lundström, Ett misstolkadt Catoställe, Eranos 14, 1914, 209 sq.

Mar = R. Marache, Mots nouveaux et mots archaïques chez Fronton et Aulu-Gelle, Rennes 1957

Maró = E. Maróti, Feriae in familia. Zur Interpretation von Cato, „De agri cultura" c. 138, Acta Conventus XI "Eirene", 1970, 63–67 (= VDI 1970,112, 60–64)

Mazz[1] = A. Mazzarino, Ancora un hapax in Catone?, Maia 4, 1951, 210 sq.

Mazz[2] = A. Mazzarino, Introd. al de agri cultura di Catone, Roma 1952[1]; Messina 1962[2]

Mazz[3] = A. Mazzarino, lat. 'septemfolius', Ricerche linguistiche 3, 1954, 184–188

Mazz[4] = A. Mazzarino, Dittico catoniano, Riv. filol. class. 84 (N. S. 34), 1956, 52–54

Mazz[5] = A. Mazzarino, Lex oleae faciundae, Studi in onore di P. de Francisci, IV, Milano 1955, 345 sq.

Mazz[6] = A. Mazzarino, Ricupero di un vocabolo latino, Studi in onore di G. Funaioli, Roma 1955, 239 sq.

Mazz[7] = M. Catonis De agri cultura. rec. A. Mazzarino, Lipsiae 1962

Nied = M. Niedermann, Contributions à la critique et à l'explication de textes latins, Rev. philol. 7, 1933, 11–32 (= Recueil Max Niedermann, Neuchâtel 1954, 162–168)

Niss = H. Nissen, Ital. Landeskunde II 2, Berlin 1902

Numm = P. Numminen, Das lat. *in* mit Akkusativ bis zu Augustus' Tod (Annal. Acad. Scient. Fennicae B XLV, 1), Helsinki 1938

Olck = F. Olck, Die Kalenderdaten in Catos Schrift De agri cultura, Neue Jahrbb. 141, 1890, 577–595

Oxé = A. Oxé, Das Centenarium und seine metrologische Umwelt, Rhein. Mus. 89, 1940, 127–151

Pet[1] = H. Petersmann, Zu Cato de agr. 134, 1 u. den frühesten Zeugnissen für den Ersatz des Nominativs Pluralis von Substantiven der 1. Deklination durch Formen auf -as, Wien, Stud. 86 (N. F. 7), 1973, 75sqq.

Pet[2] = H. Petersmann, Zu einem altrömischen Opferritual (Cato de agri cultura c. 141), Rh. Mus. 160, 1973, 238–255

Pi[1] = G. B. Pighi, Appunti per un commento al libro di Catone sull'agricultura (fasc. I: Prefazione e capitoli I-X), Como 1944

Pi[2] = G. B. Pighi, Les formes du latin dit «vulgaire», Actes du premier Congrès de la Féder. Intern. des Assoc. d'étud. class., Paris 1951, 201sq.

Pian = E. Pianezzola, Cato, Agr. 157, 11, Riv. filol. class. 103, 1975, 295sqq.

Pont = consensus Pont[1] et Pont[2]

Pont[1] = Iuli Pontederae adnotationes quas in sua editione Scriptorum rei rusticae a. 1733 palam facta Io. Matthias Gesner protulit (pp. 1284–1293) quasque ipse in editionem transtulit a. 1773 iterum publicatam

Pont[2] = Julii Ponderae Antiquitatum latinarum graecarumque enarrationes atque emendationes praecipue ad veteris anni Rationem attinentes, epistolis LXVIII. comprensae et tabulis plurimis ornatae. Patavii, Typis Seminarii, 1740

Pont[3] = Julii Ponderae Epistolae ac Dissertationes. Opus posthumum in duos tomos distributum, praefatione et notis auctum ab Jos. Ant. Bonato. Patavii, Typis Seminarii, 1791

Pra = F. Pradel, De praepositionum in prisca latinitate vi atque usu, Neue Jahrbb., Suppl. 26, 1901, 465–576

Rottb = Chr. F. Rottbøl, Anmærkninger og Oplysninger til M. Porcius Cato de re rustica, Nye Samling af det Kong. Danske Videnskab. Selskabs Skrifter, Kiøbenhavn 1793, 229–300

Salv = A. Salvatore, censura Antoni Mazzarino libri (uid. supra Mazz²), Maia 7, 1955, 231–236

Schill = R. Schilling, *Sacrum* et *profanum*. Essai d'interprétation, Latomus 30, 1971, 953–969

Schoend = O. Schoendoerffer, De genuina Catonis de agri cultura libri forma. Part. I. De syntaxi Catonis, Regimonti 1885

Serg = М. Порций Катон, Земледелие. Перевод и комментарий М. Е. Сергеенко, Москва-Ленинград 1950

Sk = F. Skutsch, Gramm.-lexik. Notizen, Arch. f. lat. Lexik. u. Gramm. 12, 1901, 197–214

SRRRR = Scriptorum romanorum de re rust. reliquiae. coll. rec. F. Speranza, I, Messina 1974 (Bibl. di Helikon, n. 8)

Sven = consensus Sven¹ et Sven²

Sven¹ = J. Svennung, Annotationes criticae in Catonem, Eranos 32, 1934, 1–29

Sven² = J. Svennung, Unters. zu Palladius und zur lat. Fach- und Volkssprache, Uppsala 1935

Th = P. Thielscher, Des Marcus Cato Belehrung über die Landwirtschaft, Berlin 1963

Th* = consensus Th et Jü-Th¹ uel Th et Jü-Th² uel Jü-Th³: uid. supra Jü-Th

Till = censura quam Pauli Thielscher libri (uid. supra, Th) fecit R. Till, Gnomon 40, 1968, 25 sqq.

Till² = censura quam Radulfi Goujard editionis (uid. supra, Gou) fecit R. Till, Gnomon 50, 1978, 261 sqq.

Us¹ = H. Usener, Zu Cato, Rh. Mus. 19, 1864, 141–144

Us² = H. Usener, Grammatische Bemerkungen, Jahrbb. f. class. Philol. 19, 1873, 398 sq.

Vett¹ = E. Vetter, Zur lat. Grammatik, Wien. Stud. 24, 1902, 531–536

Vett² = E. Vetter, Zu Cato, De re rust. 135, 1, Wien. Stud. 55, 1937, 190–193

Voll = Fr. Vollmer, 'duodecimus': Thes l. l. V, col. 2250

Wei = P. Weise, Quaestionum Catonianarum capita V, Gottingae 1886

Well = M. Wellmann, Die Georgika des Demokritos, Abhandl. d. preuss. Akad. d. Wissensch. 1921, 4

Wess = C. Wessely, Zu Catos Schrift über das Landwesen, Wien. Stud. 20, 1898, 135–150

Wü = R. Wünsch, Anmerkungen zur lat. Syntax, Rh. Mus. 69, 1914, 123–138.

praeterea: *Gesn* = *Gesner*; *Gron* = *Gronovius*; *Iuc* = *Iucundus*; *Schn* = *Schneider*; *Turn* = *Turnebus*; *Vict* = *Victorius*

compendio *edd.* consensum indicaui editorum Georgi Goetz (*G*) Pauli Thielscher (*Th*) Iosepi Kun (*Kun*) Radulfi Goujard (*Gou*) Henricum Keil (*K*) sequentium. hos tamen editores ubi Keilio non omnes sed modo duos modo tres modo quattuor inueni consentientes, compendio *edd.* litterulis ab *a* ad *f* iuxta superque positis notaui. igitur lectores quaeso ut hunc prae se habeant indicem:

edd. = consensus *K G Th Kun Gou*
edd.[a] = consensus *K G Th*
edd.[b] = consensus *K G Kun*
edd.[c] = consensus *K G Gou*
edd.[d] = consensus *K G Th Kun*
edd.[e] = consensus *K G Th Gou*
edd.[f] = consensus *K G Kun Gou*

litterula quae, iuxta superque posita, compendio *Gou* comitatur, uirorum doctorum nomina indicat, quos modo in seruanda modo in castiganda scriptura ab libris tradita manuscriptis Radulfus Goujard etsi sequitur at in apparatu suae editionis silentio praeterit. ita *Gou*[h] nil aliud ualet nisi *Gou(jard) H(örle praeeunte)*, idem sonat *Gou*[m] ac *Gou(jard) M(azzarino auctore)*.

M. CATONIS

DE AGRI CVLTVRA

LIBER

SVMMARIVM. I Quo modo agrum emi pararique oporteat. II Patris familia⌊e⌋ officia. III ⌊Auctionem uti faciat. IV Prima adolescentia agrum conserere oportere. V Villam rusticam uti aedificatam habeat⌋. VI Bubilia uti bene aedificata habea⌊s⌋. | VII Vi⌊l⌋ici officia.| VIII ⌊Agrum quibus locis conseras. IX De fundo suburbano⌋. X Ficos | quo loco ser⌊as⌋. XI |Salicta locis aquosis.| XII ⌊Quo modo ole⟨t⟩um agri iug. CCXL instruere oporteat. XIII Quo modo ⟨uineae⟩ iug. C[C] instituere oporteat⌋. XIV {Quo modo uasa torcula quinque iuga instruere oporteat.} XV ⌊Quo modo torcularium et cellam oleariam⌋ parar⌊e⌋ oporte⌊a⌋t. XVI ⌊In cella olearia quae opus sunt⌋. XVII Villam aedificandam ⌊si[cut⌋] locabis. XVIII ⌊De⌋ maceri⌊is⌋ | aedific⌊a⌋n⌊dis⌋. XIX Cal⌊cem partiario locandam⌋. XX Materies qui⌊d⌋ | anni tempestiua ⌊est⌋. XXI Torcularium ⌊si⌋ aedific⌊are uoles. XXII In⌋ uasa uinaria | stipit⌊e⌋s. | XXIII Trapet⌊um⌋ | ⌊quo modo⌋ concinna⌊ri oporteat⌋. XXIV Cu⌊pam⌋ ° ⌊quo modo aedifices⌋.

(III) *de inscriptione operis uid. proll., p. XXXVII sq. — capitulorum indicem om.* **m a** *Th* || 5 familias **V f** *Gou* || 6 adulescentia (-lens- **A**) *codd., Gou* || 7 habeas **A c** || 8 habeat **π** | Villici **V c f** *Vict* || 9 conseras] constituas **c** || 10 *add.* **c f** || 11 instr.] instituere **f** | *lemmata XIII et XIV om.* **c** | *add. Vict: an* ⟨ui.⟩*?* || 12 *secl. Vict* | instit.] instruere **A** *Vict edd.*[c] | torcularia **A**, *em.* **A**[2] (**A**[3]*?*) || 13 instruere] instituere **π** || 14 parari **A** || 15 sunt] sint *codd. Vict edd.*[c] || 15.16 si atlocabis **A**, *em.* **f** *Vict*, *om.* **c** si cui locabis *con. Frid* || 17 locandam] *uid. infra ad c. 16* || 18 est] sit *cum* **v** *edd.*[c] || 19 concinnare (-ina- **f**) **f** *Vict* || 20 °] trapeti

mortario⌝: ubi bene distriuerit, farinae siligineae libra«m» aut, si uoles tenerius esse, selibram similaginis solum eodem indito permiscetoque cum caseo bene; ouum ⌊unum⌋ addito et una ⌜permisceto bene⌝. inde panem facito, folia subdito, in foco cal|do sub test⌊u⌋ coquito le⌊n⌋iter.

LXXXV Placentam sic facito

1. Placentam sic facito: farinae silig⟨i⟩neae ⌊L. II⌋, 76
unde solum facias; ⌊i⌋n tract⌊a⌋ farinae ⌊L. IIII⌋ et alicae primae L. II. alicam in aquam infundito: ubi bene mollis erit, in mortarium purum indito siccatoque bene; deinde manibus de|psito: ubi bene subactum erit, farinae ⌊L.⌋ IIII paulatim addito. id utrumque tracta facito: in qualo, ubi arescant, compo⌊n⌋ito: ubi arebunt, componito puriter. 2. cum facies in singula tracta, ubi d⌊e⌋ps⌊u⌋e-

Ⓘ **cc. 75–76** *Varr. 1, 2, 28* in ... Catonis libro ... quem ad modum placentam facere oporteat, quo pacto libum [*sc.* scriptum est] || **c. 76 – cc. 82. 84. 87** *Plut. Cato 25, 2 (351e) συντέτακταί γε* [*sc. Κάτων*] *βιβλίον γεωργικόν, ἐν ὧι καὶ περὶ πλακούντων σκευασίας . . . γέγραφεν, ἐν παντὶ φιλοτιμούμενος περιττὸς εἶναι καὶ ἴδιος*

Ⓘⓘ **c. 75** *aliter Athen. 125f* || **cc. 76–80. 87** *uid. Athen. 643e sqq.* || **c. 76, 1** alicae ... alicam] *perperam Plin. 22. 128* (nondum arbitror Pompei Magni aetate in usu fuisse [*scil.* alicam])

Ⓘⓘⓘ 3 paulatim] paululum *con.* K^{c}*: at uid.* $Löf^{2}$ || 6 hoc modo] sic **A** || 7–8 disterat ... distriuerit] -ras *et* -ris $Pont^{2}$ || 8 libram **av** || 9 solum *tut.* $Sven^{1}$*, del. edd.*^{b} solam Hau^{2}*: uid. proll., p. XLVI* || 12 folia ⟨laurea⟩ K^{2} || 15 *add.* **df** siligine **mn** silignee **c** silignene **A** || 19 deposito **Af** || 22 puriter] pariter *con. Turn* | cum] tum *Iuc* | in sing.] in *del. Schn edd.: uid. proll., p. LXXXVI, 1* | deposueris (*corr.* -psu- **n**) **Afn**

ris, pa˻nn˼o oleo uncto tangito et circumte˻r˼g˻e˼to ung˻u˼itoque; ubi tracta erunt, focum, ubi co˻c˼as, cal|facito bene et te˻s˼tum. postea farinae ˻L.˼ II conspargito conde|psitoque; inde facito solum tenue. casei ˻ouilli˼ p. XIIII ne acidum et bene recens in aquam | indito: ibi macerato, aquam ter mutato. inde eximito siccatoque bene paulatim ˻manibus˼: siccum bene in mortarium imponito. **3.** ubi omn˻e˼ caseum ˻bene˼ siccaueris, in mortarium purum manibus conde|psito comminu˻i˼toque quam maxime. deinde cribrum farinarium purum sumito caseumque per cribrum facito transeat in mortarium. postea indito mellis boni p. IIIIS: id una bene commisceto cum caseo. postea in tabula pura, quae pateat ˻p.˼ I, ibi balteum ponito: folia| laurea uncta supponito, placentam fingito. **4.** tracta ⟨i⟩˻n˼ singula in totum solum primum ponito; deinde de mortario tracta linito, tracta addito singulatim, item linito, usque adeo donec omn˻e˼ caseum cum melle abusus eris. in summum tracta ˻*in*˼ singula indito, postea solum contrahito ornatoque, focum ˻deuerrito˼ temperatoque, tunc placentam imponito: te˻s˼to caldo operito, ˻pruna insuper et circum operito˼. uideto ut bene et *ot*iose percoquas: aperito, dum inspicias, bis aut ter. ubi cocta erit, eximito et melle ung˻u˼ito: haec erit placenta semodialis.

(III) 2 tacta *Th Gou* || 4 cond.] -depos- **A** -demps- **A**²**mnc** || 7 manibus *secl. Schn* || 9 cond.] -depos- **A** (o *del.* **A**²) -demps- **c** || 10 caseumque ⟨indito⟩ *Th* || 13 pura ⟨et uncta⟩ --- p. I, placentam fingito, ibi --- laurea [uncta] supp. *scribendum con. Schn* || 15 tracta in] tractan (-am **F**ᵖ*?*) **F**ᵖ**Acf** -ctam (*uel* -ctani **A**¹) **A**¹ *rell.* tracta (*sic* **a**²) *cum* **v** *edd., corr. Politianus: uid. proll., p. LXXXIII* || 16 ponito] inponito *K*² | de] in **A** || 18 tracta in] tracta an **F**ᵖ tractam **amn** tractan (tranctan **A**) **dfA** tract *spatio uacuo relicto* **c** tracta **v** *edd.* || 20 deu.] de ueprimo (*cum nota mendi* **F**ᵛ) **F*** *codd.* (de ue prino **mn**) deinde premito **v** dein pruna *con. Pol* de iunipero *Iuc* leni pruna *Popma* bene pruna *Th* bene primo *Turn duce, Gou* probe primo *Brak, alii alia: em. Hö*¹ (*at uid. Sven*²), *prob. Kun: uid. proll., p. LXXXVI, I* | temperato **m** || 22 ociose (occi- **n**)

LXXXVI Spiram sic facito

Spiram sic facito: quantum uoles pro ratione, ita uti 77
placenta fit, eadem omnia facito, nisi | alio modo fingito. in solo tracta cum melle oblinito bene. inde, tamquam restim tractes, facito: ita imponito in sol⌞o⌟, | simplicibus completo bene arte. cetera omnia, quasi placentam facias, facito coquitoque.

LXXXVII Scriblitam sic facito

Scriblitam sic facito: in balteo, tract⌞i⌟s, caseo ad eun- 78
dem modum facito uti placentam, sine melle, coquitoque.

LXXXVIII Globulos sic facito

Globos sic facito: caseum cum alica ad eundem mo- 79
dum misceto; inde, quantos uoles facere, facito. in ⌞aenum⌟ caldum unguen indito. singulos aut binos coquito uersatoque crebro duabus rudibus: coctos eximito, eos melle ung⌞u⌟ito, papaue⌞r⌟ infriato: ita ponito.

LXXXIX Enc⌞y⌟tum sic facito

Enc⌞y⌟tum | ad eundem modum facito ut⌞i⌟ glob|os, 80
nisi calicem pertusum cauum habeat. ita ⌞in⌟ unguen caldum fundito. ho⌞n⌟estum quasi spiram facito idque duabus rudibus u⌞o⌟rsato pr[a]e⟨n⟩s[t]atoque; item ung⌞u⌟ito coloratoque caldum ne nimium. id cum melle aut cum mulso apponito.

(II) c. 79 alica] *uid. ad c. 76,1*

(III) 2 quantam *K* | pro r.] Ratio *Pol** | uti] ut **A** || 4 tracta ⟨caseo⟩ *Th* || 5 imp.i. s.] componito i. s. *con.* K^c imponito [i. s.] K^2 | simplicibus ⟨tractis⟩ *con.* K^1 simpl. ⟨spiris⟩ *Th* || 9 in balteo tracta ex caseo [*sc.* ponito] *Schn* || 10 coquitoque **Vf**, *om. cett., edd.*[e] || 14 ahenum *KG* | unguem **mf** munguē c in unguen K^2*: uid. Hau*[2] || 15 uorsatoque K^1 || 16 infricato **A** || 18 encitum **Vcmn** || 20 hon.] hoc pestum **v**, *unde* hoc pastum *con. Gesn* hoc in restim *duce Iucundo Meurs Schn* (*at* quasi restim ut in spira facito *scribendum con. Schn*) bene coctum *con.* K^c †honestum K^2, *crucem remouit G:* conextum *olim ego* (*Mazz*[4]) || 21 uersato **Vmf** | praestatoque **V** *codd. edd.: emendaui* (*uid. proll., p. CXXVI, I*) perfrigitoque *Iuc* pressatoque *Popma:* || 22 coloratoque] collocatoque *con. Rottb*

XC ⌊E⌋rneum sic facito

81 Erneum placentum tamquam placentam. eadem omnia indito, quae in placentam. ⌊id⌋ permisceto in alueo, {id} indito in ⌊i⌋rneam fictilem, eam demittito in aulam ⌊ahe⌋neam aquae calidae plenam. ita coquito ad ignem: ubi coctum erit, ⌊i⌋rneam con⌊f⌋ringito. ita ponito.

XCI Spaeri⌊t⌋am ⌊sic⌋ faci⌊to⌋

82 Spaeri⌊t⌋am sic facito, ita uti spiram, nisi sic |fingito: de tractis, caseo, melle sphaeras pugnum altas facito; eas in solo componito densas: eodem modo componito a⌊*t*⌋que spiram itemque coquito.

XCII Votum pro bubus

83 Votum pro bubus, ut ualeant, sic facito: Marti Siluano in silua interdius in capita singula boum uotum facito; ⌊farris L.⌋ III et lardi p. IIIIS ⌊et pulpae p. IIIIS⌋, uini ⌊S.⌋ III |: ịḍ ⌊ịṇ ụ⟨nu⟩ṃ ụạṣ⌋ ḷịc̣ẹṭọ co|icere et uinum *it*em in unum uas liceto co|icere. eam rem diuinam uel seruus uel liber licebit fac⌊iat⌋. ubi res diuina[⌊s⌋] facta erit, statim ibidem consumito. mulier ad eam rem diuinam ne adsit neue uideat quo modo fiat. hoc uotum in annos singulos, si uoles, licebit uouere.

XCIII Sauillum sic facito

84 Sauillum hoc modo facito: farinae selibram, casei p. IIS una commisceto quasi libum, mellis p. ⌊=–⌋ et ouum ⌊unum⌋. catinum fictile oleo ung⌊u⌋ito. ubi ⌜omnia

(III) 2 placentem **c** -tuam **f**, *om. Bodl. Vict*: sic facito *pro* placentum *ex rubr. edd.*[d] (erneum tanquam placentam facito *Iuc*) placentum *secl. Gou: uid. proll., p. XLII* || 4 id ind.] id *om.* **Vf** | demittito **d** dim- (dimitito **f**) *rell.* | aulam] ollam **c** || 9 spheras (phaeras **c**) **adfc** speras **Amn** *edd.*[e] || 10 adque (ad quę **c**), *em.* **av** || 13 ut] uti **A** *edd.*[c] | Marti Siluano *Vrs Corss Burr alii* Marti, Siluano *edd.*[c] || 16 s. III] III *om.* **A** | idinum (idinnum **A**) uas, *em.* **m**? *Vict* id in urnas **v** | conicere (-nii- **v**) **Av** | item] idem, *em. Vict* || 18 diuinas, *em.* **A**[2] **mdav** || 21 si uoles] uoles si (si *om.* **f**) *codd.* **V** *em. Iuc* || 24 addito *ante* mellis *add. K*[2]*: at uid. Sven*[1] eo *dubitanter Hau*[2]

bene⌉ commiscueris, in catinum indito: catinum te⌊s⌋to operito. uideto ut bene perco⌊c⌋as m⌊edi⌋um, ubi altissimum est: ubi coctum erit, catinum eximito, melle ung⌊u⌋ito, papauer infriato, sub test⌊um⌋ subde paulisper, postea eximito: ita pone cum cati⌊ll⌋o et lingula[s].

XCIV Pultem punicam sic facito

Pultem punicam sic coquito: libram ali⌊*c*⌋ae in aquam 85
indito, facito ut⌊i⌋ bene madea|t. id ⌊in⌋fundito in alueum purum, eo casei recentis p. III, mellis p. S, ouum unum: omnia ⌊una⌋ bene permisceto. ita insipito in aulam nouam.

XCV Graneam triticeam sic facito

Graneam triticeam sic facito: selibram tritici puri in 86
mortarium purum indat, lauet| bene corticem⌊que deterat bene eluatque bene⌋: postea in aulam indat et aquam puram co⌊c⌋atque. ubi coctum erit. lacte addat paulatim, usque adeo donec cremor crassus ⌈erit factus⌉.

XCVI Am⌊ul⌋um sic facito

Am⌊ul⌋um sic facito: siliginem purgato bene; postea in 87
alueum indat, eo ⌈addat aquam⌉ bis in die. die decimo aquam ex⌊s⌋iccato, exurgeto bene, in alueo puro misceto

(I) **c. 87** (amulum) *Plin. 18, 77* iam et Catoni dictum [*sc.* amylum] apud nos

(II) **c. 85** alicae] *uid. ad c. 76, 1* || **c. 86** *uid. Plin. 18, 116; Geopon. 3, 8* || **c. 87** *cf. Orib. CMG I 105, 30 sqq. R.; Plin. 18, 76 sq.*

(III) 1 in catinum *om.* **A** | catinum t. o.] *contra hunc locum uerba* Huc usq₃ / de duobus/ emendaui/ hinc de uno/ exemplario/ tantum *adscripsit in marg.* **F*** | texto **Vf** || 2 percoquas **mdcav** *K*[1] || 5 *del. K*[2], *tut. Th* lingulas ⟨addito⟩ *con. K*[1] lingulis *duce Iuc, K*[1] || 7 aligae (alligę c), *em.* **v** || 9 eo ⟨addito⟩ *K: at uid. Hau*[2] *Sven*[1] || 10 bene p.] *uerso ordine cum codd. et Vict edd.*[a]*: uid. tamen proll., p. LXXXVI sq.* || 13 corticemque – 14 el. bene] *uid. proll., p. LXII, 1* || 15 puram ⟨addat⟩ coq. *K*[2]*: uid. Hau*[2] | coquatque (coquat **mn**) **dcamnv** *K*[1] || 16 adeo] eo *Th* || 20 exsicato (exi- **mn**) **Amn**

bene: facito tamquam faex fiat. id in linteum nouum indito, exprimito cremorem in patinam nouam aut in mortarium: id omne ita facito et refricato denuo. eam patinam in sole ponito | arescat: ubi arebit, in ⸤au⸥llam nouam indito: inde facito cum lacte coquat.

XCVII Salem candidum sic facito

88 1. Salem candidum sic facito: amphoram defracto collo puram impleto aquae purae, in sole ponito. ibi fiscellam cum sale populari suspendito et quassato su⸤p⸥pletoque identidem. id aliquotiens in die ⸤cotidie⸥ facito, usque adeo donec sal desi⸤u⸥erit tabescere biduum. 2. id signi erit: menam aridam uel ouum demittito: si natabit, ea muries erit, uel carnem uel caseos uel salsamenta quo condas. ⸤eam⸥ muriam in labella uel in patina⸤s⸥ in sole ponito: usque adeo in sole habeto donec concreuerit: inde flos salis fiet. ubi nubilabitur ⸤et⸥ noctu sub tecto | ponito; ⸤c⸥otidie, cum sol erit, in sole ponito.

XCVIII Gallinas et anseres sic farcito

89 Gallinas et anseres sic farcito: gallinas teneras, quae primum parie[ri]nt, concludat; polline uel farina ⸤h⸥ordeac⸤i⸥a consparsa ⸤turundas⸥ faciat: eas in aquam ingu⸤u⸥at, | in os ⸤indat⸥. paulatim ⸤c⸥otidie addat, ⸤ex⸥ gula consideret quod satis sit. bis in die fa⸤r⸥ciat et meridie bibere dato: n⸤e⸥ plus aqu⸤a s⸥ita siet horam ⸤unam⸥. eodem modo anserem alito, nisi prius dato bibere ⸤et⸥ bis in die, | bis escam.

(II) c. 88, 2 *cf. Colum. 12, 6, 2 sq.; Geopon. 20, 46, 5* || c. 89 *cf. Varr. 3, 9, 20; Colum. 8, 7, 3*

(III) 4 in solo **d** | ponito ⟨sinito⟩ arescat *K²: uid. Hau²* | aulam (aula **m**) || 9 supletoque || 10 cotidie *secl.* **v** *Schn* || 12 dimittito **Ac** || 13 quo condias **A³** (quodam **A**, *corr.* quo condas **A²**) *Vict* || 14 in patinas ⟨diffundito⟩ *K²: uid. Hau²* || 20 parient *codd.: at uid. proll., p. LXXVII sq.* | or- **Vmcn** || 21 ⟨aqua⟩ consparsa *con.* *K*ᶜ || 24 aquas ita siet (fiet **f**) **Acfv**, *em.* **F**ᵖ *cett.*

[XCIX]Palumbum recentem sic farcito

⌊Palumbum recentem. u⟨b⟩i⌋ prensus erit, ei fabam coctam tostam primum dato, ex ore in eius os inflato, item aquam: hoc dies VII facito. postea fabam fresam puram et far purum facito et fabae tertia pars ut inferuescat: ⌊t⌋um far in⌊s⌋ipiat, puriter facito et coquito bene. id, ubi exc⌊l⌋u|seris, dep⌊sito⌋ bene, oleo manum ung⌊u⌋ito: | primum pusillum, postea magis depses, oleo tangito depsitoque, dum poteri⌊t⌋ facere turundas: ex aqua d⌊ato⌋, escam temperat⌊o⌋. 90

[C]Aream sic facito

Aream sic facito: locum ubi faci⌊e⌋s confodito. postea amurca conspargito bene sinitoque combibat. postea comminuito ⌜glebas bene⌝, deinde coaequato et pauiculis uer- 91

(I) **cc. 91 – 101** [*de cc. 91. 93 – 95 uid. etiam infra, ad loc.*] *Plin. 15, 33sq.* super omnia uero celebrauit amurcam laudibus Cato: dolia olearia cadosque illa imbui ne bibant oleum [= **c. 100**; *cf. c.* **69, 1**]; amurca subigi areas terendis messibus, ut formicae rimaeque absint [= **c. 91**; *cf. c. 129 ac uid. hic infra*], quin et lutum parietum ac tectoria et pauimenta horreorum frumenti [= **c. 92**]; uestiaria etiam contra teredines ac noxia animalium amurca aspergi [= **c. 98, 1**]; semina frugum perfundi [*deest*]. morbis quadripedum [= **c. 96**; *cf. c. 103*], arborum quoque illa medendum [= **cc. 93 – 94**]; efficaci ad ulcera interiora humani quoque oris [*deest*]. lora etiam et coria omnia et calceamina axesque decocta ungui [= **c. 97**]; atque aeramenta contra aeruginem, colorisque gratia elegantioris et totam supellectilem ligneam [= **c. 98, 2**], ac uasa fictilia, in quis ficum aridam libeat adseruare [= **c. 99**], aut si folia bacasque in uirgis myrti aliudue quod genus simile [= **c. 101**]. postremo ligna macerata *eqs.* [*uid. infra ad c. 130*] || **c. 91** *Plin. 18, 295* aream ... Catonis sententia amurca temperatam

(II) **c. 91** ~ *c. 129. cf. Varr. 1, 51, 1; Verg. georg. 1, 178sqq.; Colum. 2, 19, 1. 20; Pallad. 1, 36; 7, 1; Geopon. 2, 26*

(III) 2 sic farcito *post* recentem *ex rubr.* v *edd.*[b]: *at uid. Sven* || 2 u⟨b⟩i] ui **F**[p] *codd.* (*an* ut *ex* ui **A**?) ubi (*sic, e. g., cod. Sen.*) *edd.*[f] ut (*sic cod. Luc. et ex con. Politianus*) *Vict Th* uti v || 6 tum **F**[v] (*ut uidetur*) *codd.* cum **V** *Iuc* (cum feruere incipiet) | insipiat] insipias *Pont*[2] | pur.] pariter *con. K*[1] || 7 excluserit *cum* **A** *K* excoxeris *Iuc Vict* excusseris v *Th* | deps.] deponito (deposito **A** deps- **A**[2] [?]) || 8 depset *K* || 9 poteris v *Pont* || 10 des escam temperatam || 14 deinde c.] inde coquito **A**

berato. postea denuo amurca conspargito sinitoque arescat. si ita feceris, neque formic⸤ae⸥ noceb⸤un⸥t neque herbae nascentur.

[CI]Frumento ne ⸤c⸥ur⸤c⸥ulio noceat

92 Frumento ne ⌜noceat ⸤c⸥ur⸤c⸥ulio⌝ ne⸤u⸥ mures tangant: lutum de amurca facito; palearum pa⸤ul⸥um addito, sinito ma|ce⸤re⸥scant bene et subigito ⸤bene⸥. eo granarium totum oblinito crasso luto; postea conspargito amurca | omne quod lutaueris. ubi aruerit, eo frumentum refrigeratum condito: ⸤c⸥ur⸤c⸥ulio non nocebit.

[CII]Olea si fructum non fert

93 Olea si fructum non fer⸤e⸥t, ablaqueato. postea stramenta circumponito; postea amurcam cum aqua commisceto aequas partes. deinde ad oleam circumfundito: ad arborem max⸤u⸥mam | u⸤r⸥nam commixti sa⸤t⸥ est, ad minores arbores pro ratione indito. et idem hoc si facies ad arbores feraces, ⸤e⸥ae quoque meliores fient: ad eas | stramenta ne addideris.

Ⓘ **c. 93** *Plin. 17, 263* Cato et medicamenta quaedam componit, mensurae quoque distinctione: ad maiorum arborum radices amphoram, ad minorum urnam, amurcae et aquae portione aequa, ablaqueatis prius radicibus paulatim adfundi iubens. in olea hoc amplius stramentis ante circumpositis, item fico [*uid. c. 94*]

Ⓘ **c. 92** ~ *c. 128. cf. Varr. 1, 57, 1 sq. (uid. etiam 1, 55, 7); Colum. 1, 6, 13; Pallad. 1, 19, 2; Geopon. 2, 27, 7* || **c. 93** *cf. c. 36 ac uid. Colum. 5, 9, 16; 11, 2, 29 (= Pallad. 4, 8, 1). 87; Geopon. 9, 10, 1; 3, 15, 16*

Ⓘ 7 macerescat *Schn K*[c] || 12 fert cv || 15 urnam] amphoram unam *cum* v *Schn et* (amphoram) *K*[c] urnas II *Hö*[1] | commixti — 16 indito] comm. s. e.: ad m. a. ⟨urnam, ceteris⟩ p. r. indito *con. Schn* ad minores arbores urnas commixti sat est, pro ratione indito *K*[c] || 17 eae] hae (hee f) Vf

[CIII]Fici uti grossos teneant

Fici uti grossos teneant, facito omnia qu⌊o⌋ modo oleae, et hoc amplius: cum uer app⌊et⌋et, terram adaggerato ⌊bene⌋. si ita feceris, et grossi non cadent et fici scabrae non fient et multo feraciores erunt. **94**

[CIV][⌊Inuoluolus⌋] Conuolu⌊o⌋lus in uin⌊i⌋a ne ⌊s⌋i⌊e⌋t

1. Conuolu⌊o⌋lus in uin⌊i⌋a ne ⌊siet⌋, amurcam condito, puram bene facito, in uas ⌊ahe⌋neum indito congios ⌊II⌋. postea ign⌊i⌋ le⌊n⌋i coquito, rudicula agitato crebro, usque adeo dum fiat tam crassum quam mel. postea sumito bituminis tertiarium et sul⌊p⌋uris quartarium. **2.** conterito in mortario se⌊orsum⌋ utrumque. postea infriato quam minutissime in amurcam caldam et simul rudicula misceto et denuo coquito sub dio ⌊c⟨a⟩elo⌋: nam si in tecto coquas, cum bitumen et sul⌊p⌋ur additum est, excandescet. ubi erit tam crassum quam uiscum, sinito frigescat. hoc uitem ⌊circum⌋ caput et sub brachia ung⌊u⌋ito: conuoluolus non nascetur. **95**

(I) **cc. 94—95** *Plin. 17, 263 sq.* [*uid. supra ad c. 93*] huius [*sc.* fici] praecipue uere terram adaggerari radicibus: ita futurum, ut non decidant grossi maiorque fecunditas nec scabra proueniat. simili modo, ne conuoluolus fiat in uinea, amurcae congios duos decoqui in crassitudinem mellis, rursusque cum bituminis tertia parte et sulpuris quarta sub diu ⟨co⟩qui, quoniam exardescat sub tecto. hoc uites circa capita ac sub bracchiis ungui: ita non fore conuoluolum

(II) **c. 94** *cf. Colum. 5, 10, 10 sq.; Plin. 17, 259; Pallad. 4, 10, 29 sq.; Geopon. 10, 48, 4*

(III) 2 quo] quae (que A) **A v** quoquo **m** || 6 *om.* **v** *Vict* | siet] fiat **f v** || 7 uinia **n d f** uia (*corr.* uinea A[2]) **A** uinea (*ex* -ia *ut uidetur* **a**) *cett.* **v** || 12 infricato **A** || 14 caelo *del. Brak coll. c. 112, 2* || 17 circum] sub | sub brachiis *ex Plin. K[2]: uid. Hau[2]* || 18 nascetur] nascebit (nocebit) *et in marg.* nocebit **F**[v] (*at uid. proll., p. LXXI sq.*) nascetur **A** (nocebit *spscr.* A[2]) nascetur **m n a c** nocebit **f d**

[CV]Oues ne scabrae fiant

96 1. Oues ne scabrae fiant, amurcam condito, puram bene facito; aquam ⟨qua⟩ lupin⌊us⌋ def«e»ruerit et faecem de uino bono, inter se omnia ⌜commisceto pariter⌝. postea, cum det⌊o⌋nderis, unguito totas: sinito biduum aut triduum consudent. 2. deinde ⌜lauito in mari⌝; si aquam marinam non habebis, faci⌊to⌋ aquam sal⌊sam⌋: ea lauito. si haec sic feceris, ⌊neque⌋ scabrae fient et lanae plus et meliorem habebunt, et ricini non erunt molesti. eodem | in omnes quadr⌊i⌋pedes utito, si scabrae erunt.

[CVI]Amurc⌊a axem⌋ ungu⌊ito⌋

97 Amurca decocta axem unguito et lora et calciamenta et coria omnia: | meliora facies.

[CVII]Vestimenta ne tin⌊i⌋ae tangant

98 1. Vestimenta ne tin⌊i⌋ae tangant, amurcam decoquito ad dimidium, e⌊a⌋ ung⌊u⌋ito fundum arcae et extrinsecus ⌊et⌋ pedes et angulos. ubi ea adaruerit, uestimenta condito. si ita feceris, tin⌊i⌋ae non nocebunt. 2. et item ⌊ligneam⌋ ⌜supellectilem omnem⌝ si ung⌊u⌋es, non put|escet, et, cum ea terseris, splendidior fiet; item ⌜⌊ahe⌋nea omnia⌝ unguito, sed prius exterg⌊e⌋to ⌊bene⌋. postea, cum unxeris, ⌊cum⌋ uti uoles, exterg⌊e⌋to: splendi⌊di⌋or erit et ⟨a⟩erugo non erit molesta.

(II) **c. 96** *cf. Cels. (fr. XXXIII M.) ap. Colum. 7, 4, 7 sq. (~ Pallad. 6, 8); Verg. 3, 445 sqq.; Colum. 7, 5, 7 (~ Pallad. 14, 30, 5); Pallad. 14, 34 sq.; Garg. Mart. c. b. 9 (= p. 308, 21 Lomm.); Geopon. 18, 15, 2 (cf. etiam 18, 8, 2) ac praeterea Varr. 2, 11, 7*

(III) 1 scabie **Amf** || 2 scabie c sc/abre (*corr.* -bje **A**[2]) **A** || 3 qua *ego* ⟨in qua⟩ *cod. Sen.* (*in marg.*), *edd.* ⟨ubi⟩ *Iuc Vict* ⟨quam⟩ *Pont*[3] | defruerit || 7 facito] facies || 8 scabię c || 9 ric.] Ricini *Pol** || **c. 97** *post* **c. 98** *trad.* **f** || 13 *post* omnia *interpunxi, coll. Plin. 15, 34* (*uid. supra* (I) *ad c. 91*), *post* coria *edd.*[a] || 16 ea ung. f. a. ⟨et angulos⟩ et extr. [et] pedes [et ang.] *K*[2]*: uid. Hau*[2]

CVIII Fici aridae ut⌊i⌋ integrae sint

Fici aridae si uoles ut integrae sint, in uas fictile condito: id amurca decocta unguito. **99**

CIX Oleum s⌊i⌋ in metretam ⌊ad⌋des

Oleum s⌊i⌋ in metretam nouam inditu⌊ru⌋s eris, amurca, **100** ita uti est cruda, prius colluito agitatoque diu, ut bene com⌊*b*⌋ibat. id si feceris, metreta oleum non bibet, et oleum melius ⌊faciet⌋, et ⌜ipsa metreta⌝ firmior erit.

CX Virgas m⌊u⌋rteas uti serues: item aliud genus

Virgas m⌊u⌋rteas si uoles cum ba⌊c⌋is seruare ⌊et⌋ item **101** aliu⌊t⌋ genus quod uis, et si ramulos ficulneos uoles cum foliis, inter se alligato, fasciculos facito: eos in amurcam demittito, supra stet amurca facito. sed ea, quae demissurus eris, sumito paulo acerbiora. uas, quo condideris, oblinito plane.

CXI Si bouem ⌊aut⌋ aliam| quadrupedem serpens momorderit

⌊Si bouem aut aliam quamuis quadrupedem serpens **102** momorderit, me⌋lanth⌊i⌋ a|ce|tabulum, | quod medici uocant ⌊zmurnaeum⌋, conterito in uini ueteris hemina: id per nares indito et ad ipsum morsum stercus suillum apponito. et idem hoc, si usus euenerit, homini facito.

(II) **c. 100** *cf. c. 69 ac uid. Colum. 12, 49, 11. 52, 16* || **c. 102** *cf. Mulom. Chir. 519; Veg. 2, 141, 5; Hipp. Berol. 87, 3* (= *CHG 1315, 5 Oder-Hoppe*)*; Geopon. 18, 17, 7; Colum. 6, 13. 17* | (mel.) *Plin. 20, 182* melanthium ... medetur serpentium plagis | melanthi ... zmurn.] *at uid. Well 41, 1*

(III) 1 ut **A** || 2 uti *ex rubr. KG* || 4 si] sic || 7 conuibat (coniubat **A**[?] **fan** cōnubat **m**), *em.* **v** || 11 aliut **n** alius **A** aliud *cett.* **v** |ramos **A** || 18 et *ante* quod *add. cum* **v** *Iuc Schn* || 20 et ad] et *om.* **A** || 21 euen.] uenerit *praeeunte Vict., edd.*[c]*: at uid. Kroll*

CXII Boues uti ualeant

103 Boues uti ualeant et curati bene sint et, qui fastidient cibum, uti magis cupide a⸤d⸥petant, pabulum, quod dabis, amurca spargito: primo paululum, dum consuescant; postea magis. et dato rarenter bibere commixtam cum aqua aequabiliter. quarto quinto q⸤uoq⸥ue die hoc si⸤c facies⸥: ita boues et corpore curatiores erunt et morbus aberit.

CXIII Vinum familiae per h⸤i⸥emem ⸤qui utatur⸥

104 1. Vinum familiae per h⸤i⸥emem qu⸤i⸥ uta|tur: musti q[ụạṛṭạṛịọṣ] X in dolium indito; aceti acris q. II eodem infundito; sapae quadrantalia ⸤II⸥; aquae dulcis q. ⸤L⸥. 2. haec rude misceto ter in die dies ⸤quinque⸥ continuos. eo addito aquae marinae ueteris se⸤x⸥tarios LXIIII et operculum in dolium ⸤imponito⸥ et obli⸤ni⸥to die[s] X. hoc uinum durabit tibi usque ad solstítium: si quid superfuerit post ṣọl[⸤i⸥]ṣṭịṭịụṃ, acetum acerrimum et pulcherrimum erit.

(I) **c. 103** (rarenter) *Statil. Max. ap. Char. GLK I 217, 14* 'rarenter' Cato: *uid. tamen supra, proll., p. XXVIII* | (amurca) *uid. supra, ad c. 91*

(II) **c. 103** *cf. Mulom. Chir. 953* boues ut bene curati sint et bene cibum faciant. amurcam puram meram primo cum cibo dabis, paululum conspargito. cum consueuerint, plus amurcam addito et [*ego cum codd.*: at (= ad) *Oder*] amurcam aqua dimidiam partem paucos dies dato bibant; *Colum. 6, 4, 4* (= *Pallad. 14, 4, 5; cf. Veg. mul. 4, 2, 11*)*; Geopon. 17, 28* || **c. 104, 2** sextarios LXIIII] *igitur in singula quadrantalia* (§ 1: q. X + II + II + L = q. LXIIII) *singuli adduntur aquae marinae ueteris sextarii*

(III) 2 sient *cum* **b** K^{1} || 6 aeq.] equaliter **m** | quarto q. q.] quarto quintoque **mv** quarto quoque *con. Vrs* quarto ⟨aut⟩ quinto quoque K^{2}*: at uid.* Hau^{2} $Sven^{2}$ | sic] si **Aamfv** || 9 familias **f** | hyemem **Vm** || 10 hyemem **Vc** | quo A^{2} (A^{3}*?*) || 11 quart.] quadrantalia *Iuc* || 12 quadr.] q. $edd.^{a}$ || 14 sestarios || 15 *seclusi* (die X ['X' = '*decimo*'] *i.e.* post dies X: *cf. cc. 87. 161, 3; 162, 3* [*bis*]): ⟨post⟩ dies X *duce Gron* (*cf. c. 105, 2*) $edd.^{d}$ || 17 solistitium **Aa** (*an* solistitium *hic et in u. 16* F^{v}*?*). *in menologio rustico Colotiano* (*CIL VI 2305*) *legitur 'solis institium', pro quo gemellum Vallense* (*CIL VI 2306*) *'solstitium' habet; in schol. Bern. Lucan. 8, 852* solistitiale *legitur*

CXIV Qui ager a mari | aberit, ibi uinum graecum sic facito

1. ⌊Qui ager longe a mari aberit, ibi uinum graecum sic facito. mu⌋sti q XX in ahen⌊e⌋um aut plumbeum infundito: ignem subdito. ubi |bull⌊a⌋bit uinum, ignem subducito. ubi ⌊id⌋ uinum refrixerit, in dolium quadragenarium infundito: seorsum | in uas aquae dulcis q. I infundito, salis ⌊m̊⌋ I: sinito muriam fieri. 2. ubi muria facta erit, eodem in doli⌊um⌋ infundito. schoenum et calamum in pila contundito, quod ⟨sat⟩ siet: sextarium unum eodem in dolium ⌊in⌋fundito, ut od⌊o⌋ratum siet. post dies XXX dolium oblinito. ad uer ⌜diffundito in amphoras⌝: biennium in sole sinito positum esse; deinde in tectum conferto. hoc uinum ⌜deterius non erit⌝ quam coum. 105

CXV Aquae marinae concinnatio

1. ⟨Aquae marinae concinnatio.⟩ aquae marinae ⌊.q.⌋ I ex alto sumito, quo aqua dulcis non acced⌊i⌋t. sesquilibram salis fri|gito, eodem indito et rude misceto, usque adeo donec ouum gallina⌊ceum⌋ coctum natabit: desinito miscere. 2. eodem uini ueteris uel am⌊in⌋nii uel mis⌊c⌋elli albi congios ⌊II⌋ infundito: misceto probe. postea in uas picatum confundito et oblinito. si qui⌊s⌋ plus uoles aquae marinae concinnare, pro portione ⌜ea omnia⌝ facito. 106

CXVI Quo | labra doliorum circumlinas |
ut ⌊bene⌋ odorata sint |

1. ⌊Quo labra doliorum circumlinas, ut bene odorata sint et ne quid uiti in uinum accedat, s⌋apae co«n»gios VI 107

(II) c. 105 *cf. c. 24. de uini condituris fusius Colum. 12, 19 sqq.*

(III) 3 musti q.] mustique (muxtiq; **f**) *codd.* (*recte* **d** **A**[2] [**A**[3]*?*]) || 9 ⟨sat⟩ *ego* (*cf. c. 93*) satis *K*[2] (*con. K*[1]) *G Th* || 10 oderatum: *em.* (odoratus **c**) **afcv** || 11 dolium *om.* **A** || 12 biennio **d** biduum *con. Pont*[2] || 15 *ex rubr. add. Meurs K*[2]*G Mazz*[7] *Kun* | .q. (.q̄. **Aadf**)] *in marg.* al quadrantariū **F**[p] quadrantarium **c** || 17 salis *om.* **A** || 18 gallinae | coctum *om. Iuc* crudum *con. Schn* coiectum *con. K*[c], *coll. c. 88, 2* || 21 si quis *Vict Hau*[2] si quid *Pont*[2] *duce, K*[2]*G Kun* || 22 pro p.] Pro portione *Pol** || 25 oderata **d** || 26 uicii **f** uti (*corr.* uti [*i. e.* uitii*?*] **A**[2]) **An** ut **m** | cogios **F**[p] *cod. Luc., em. cett.* **v**

quam optimae infundito in ahen⌊e⌋um aut in plumbeum et iris aridae contusae heminam et sertam campanicam p. V bene odoratam una cum iri contundas quam minutissime: per cribrum cernas et una cum sapa coquas sarmentis et leui flamma. 2. commoueto, uideto ne aduras; usque coquito, dum dimidium excoquas. ubi refrixerit, confundito in uas picatum bene od⌊*o*⌋ratum et oblinito ⌊et⌋ utit⌊o⌋ in labra doliorum.

CXVII ⌊Vinum si uoles experiri

108 1. V⌋inum si uoles experiri duraturum sit necne, ⌊p⌋olentam grandem dimidium ac|e|tabuli in caliculum nouum indito et uini se⌊x⌋tarium de eo uino, | quod uoles experiri, eodem infundito et imponito in carbones: facito bis aut ter inferueat. 2. tum id percolato: p⌊u⌋lentam a⌊bi⌋cito, uinum ponito sub dio. postridie mane gustato: si id | sapi⌊e⌋t, quod in dolio est, scito duraturum; si subacidum erit, non durabit.

CXVIII Vinum asperum lene fieri

109 Vinum asperum quod erit, lene et suaue si uoles facere, sic facito: de eruo farinam facito libr⌊as⌋ IIII et uini cyathos IIII conspargito sapa. postea facito laterculos: sinito combibant noctem et diem. postea commisceto cum eo uino in dolio et oblinito die[s] LX: id uinum erit lene et suaue et bono colore et bene odoratum.

(II) **c. 108, 1** (pulentam) *cf. Geopon. 7, 15, 29* || **c. 109** *uid. Pallad. 11, 14, 5*

(III) 2 contusae *secl. Nied Gou* | eminam **Ac** minam *Nied duce, Gou* || 3 cum iri *secl. Nied* || 5 leni *K: at uid. Nied* || 6 dum *om.* **A** || 7 oderatum **F**[p]**df**, *em.* (odo- *ex* ode- **a**?) *cett.* **v** || 8 labrum **A** || 14 polentam **av** *edd.*[c] | adicito (adii- **V** addi- **n** addito **d**), *em.* **A**[2] || 20 uini *del. Gesn, qui* 21 sapae *pro* sapa *con.* uini cyatos IIII ⟨addito⟩ *K*[2] *Gou* (et [uini cyatos IIII] conspargito sapa: postea ⟨addito uini cyatos IIII⟩, facito lat. *eqs. con. K*[1]) *uerso ordine* (postea f. l.; consp. sapa) *Th: at uid. Hau*[2] || 21 cyathos **a** -tos (ciatos *rell.*) **A** *rell., edd.*[c] || 23 eo *om.* **d** | *seclusi* (*uid. supra ad c. 104, 2*) ⟨post⟩ dies LX *edd.*[d], *Gron praeeunte*

CXIX Odorem deteriorem | demere

110 ⌞Odorem deteriorem demere uino. t⌟estam de tegula crassam puram calfacito in igni bene: ubi calebit, eam picato, resticula alligato, testam demittito in dolium infimum leniter, sinito bidu⌞um⌟ oblitum dolium. si demptus erit odor deterior, id optime; si non, saepius facito, {usque} dum odorem malum dempseris.

CXX ⌞Si uoles scire uinum aquam habeat necne

111 Si⌟ uoles scire in uinum aqua addita sit necne, ⌞u⌟asculum facito de materia hederac⌞i⌟a. uinum id, quo⌞*d*⌟ putabis aquam habere, eodem mittito; si habebit aquam, uinum effluet, aqua manebit: nam non continet uinum uas hederaceum.

CXXI Vinum coum si ⌜uoles facere⌝

112 1. ⌞Vinum coum si uoles facere, a⌟quam ex alto marinam sumito mari tranquillo, cum uentus non erit, dies LXX ante uind⌞e⌟miam, quo aqua dulcis non peruen⌞e⌟t. ubi hauseris de mari, in dolium ⌞in⌟fundito: nolito implere, quadrantalibus quinque minus sit quam plenum; operculum imponito, relinquito qu⌞a⌟ inters‹p›iret. 2. ubi dies XXX praeterierint, transfundito in alterum dolium puriter et le⌞n⌟iter: relinquito in imo quod de-

(II) c. **110** *cf. Geopon. 7, 26, 4* || c. **111** *cf. Plin. 16, 155* hederae mira proditur natura ad experienda uina, si uas fiat e ligno eius, uina transfluere ac remanere aquam, si qua fuerit mixta || c. **112, 1** (aquam ex a. m.) *cf. Plin. 14, 78* coi marinam aquam largiorem miscent. *praeterea Athen. 32e; 33b; Geopon. 8, 24*

(III) 10 quot **F**^{p}**A** quo **mn**: *em. rell.* **v** || 11 eod. m.] eo demittito *edd.*^{e}*: at uid. proll., p. XLIII* || 12 nam *om.* **A** || 16 die **m** *Iuc* || 16. 17 dies LXX a. u. *secl. Hö*^{1} || 20 intersp.] -siret **mnda**^{2} -sitet **f** -sciret **c** uter uret **A**, *em.* **A**^{2} (**A**^{3}*?*) **av** || 21 *ab* in alt. *ad p. 80, 1* transf. *om.* **f** || 22 desuderit *ut uidetur* **A** desed- **A**^{2} (**A**^{3}*?*) **v** decid- **a**, *em.* **c** deseid- *dubitanter Bö*

s⌊[c]i⌋derit. post dies XX in alterum ⌜dolium item⌝ transfundito: ita relinquito usque ⌊ad⌋ uindemiam. unde uinum coum facere uoles, uuas relinquito in uinea: sinito bene coquantur. et, ubi pluerit et siccauerit, tu⌊m⌋ deligito et ponito in sole biduum aut triduum sub dio, si pluuiae non erunt; si pluuia erit, in tecto in cratibus componito, et, si qua acina corrupta erunt, depurgato. **3.** tum sumito aquam marinam ⌊q. s. s. e.⌋: in dolium quinquagenarium *infundito* aquae marinae ⌊q̄.⌋ X. tum acina de uuis mis⌊c⌋ellis decarpito de scopio in idem dolium, usque dum impleueris: manu comprimito acina, ut combibant aquam marinam: ubi ⌊i⌋mpleueris dolium, operculo operito, relinquito qua interspiret. ubi triduum praeterierit, eximito de dolio et ⌜calcato in torculario⌝ et id uinum condito in dolia lauta et pura et sicca.

113 1. ⌊ut odoratum bene sit, sic facito: s⌋umito testam picatam, eo prunam lenem indito, suffito serta et schoeno et palma, quam habent unguentarii, ponito in doli⌊o⌋ et operito, ne odor exeat, ante quam uinum indas. hoc facito pridie quam uinum infundere uoles. de lacu ⌜quam primum uinum⌝ in doli⌊a⌋ indito, sinito dies XV ⌊o⌋pert⌊a⌋, ante quam oblinas, relinquito qua interspiret uinum, postea oblinito. **2.** post dies XL diffundito in amphoras et addito in singulas amphoras sapae se⌊x⌋tarium ⌊unum⌋. amphoras nolito implere nimium: ansarum infimarum fini; ⌊et⌋ amphoras in sole ponito, ubi herba non siet;

(II) **c. 113** *uid. Colum. 12, 20* | **§ 2** *uid. Kroener, Philol. 112, 1968, 294. 297* | (amphoras --- fini) *uid. Kroener, R.E. Snpplb. XI 512 sq.*

ex̃

(III) 8 *ad* .q. s. s. e. *potius quam ad* .q̄. (*u.* 9) *in marg.* al quadrantalia $\mathbf{F}^p$ || 9 .q̄.] quadrantalia **a** *et in marg.* $\mathbf{A}^2$ || 10 de scopio (*in marg. nota mendi* $\mathbf{F}^v$ des|eopio **A** descorpio **c**) **F*mnfAc** de Scōpione **a** *et in marg.* (al descōpione ex̃ $\mathbf{F}^p$ de scopione $\mathbf{F}^v$) **F*** $\mathbf{A}^2$ de scopis *uel* de scopione *Popma* de scopio *Vict* de scopione *edd.*[c] || 15 pura (*in marg. nota mendi* $\mathbf{F}^v$) **F*** *codd. et in marg.* (al curata ex̃ $\mathbf{F}^p$) **F*** $\mathbf{A}^2$**a** || 16 siet K^1 || 18 in dolia || 22 uinum *secl.*: K^2G *Kun Gou: at uid. Bann*

{et} amphoras operito, ne aqua accedat, et ne plus ⌊quạ-dṛịẹṇṇịụṃ⌋ in sole siueris: post qụạ⌊d⌋ṛị⌊ẹṇṇịụṃ⌋ in cu⌊n⌋eum componito et i⌊nsti⌋pa.

CXXII Vinum si uoles concinnare ⌊ut⌋ aluum ⌊bonam faciat⌋

1. Vinum si uoles concinnare, ut aluum bonam faciat, **114**
secundum uindemiam, ubi uites ablaqueantur, quantum putabis ei rei satis esse uini, tot uites ablaqueato et signato. earum radices circumsecato et purgato. ueratri ⟨atri⟩ radices ⌜contundito in pila⌝: eas radices dato circum uitem et stercus uetus et ⌜cinerem ueterem⌝ et duas partes terrae circumdato radices uitis. terram insuper in⌊i⌋cito. 2. hoc uinum seorsum legito. si uoles seruare in uetustatem ad aluum mouendam, seruato: n⌊e⌋ commisceas cum cetero uino. de eo uino cyathum sumito et misceto aqua et bibito ante cenam: sine periculo aluum mouebit.

CXXIII ⌊In⌋ uinum ⌊mustum ueratri atri⌋

1. In uinum mustum ueratri atri manipulum co⌊i⌋cito in **115**
amphoram: ubi satis ẹf̣f̣ẹṛ|ụẹṛịṭ, de uino manipulum e⌊i⌋cito. id uinum seruato ad aluum mouendam.

(I) **c. 113, 2** *Plin. 14, 79* apud nos quoque coum uinum ex italico faciendi rationem Cato demonstrauit, super cetera in sole quadriennio maturandum praecipiens || **c. 114, 1** concinnare] *Plin. 14, 129* Cato iubet uina concinnari (hoc enim utitur uerbo) [*quae apud Plinium secuntur Catonis reddunt c. 23* (*uid. supra, ad loc., necnon Wei 128; Münzer 72*)] | (ueratri ⟨atri⟩) *huc spectare uidetur Plin. 14, 110* elleboriten fieri ex ueratro nigro Cato docet.: *cf. tamen c. 115 ac uid. André¹ 132*

(II) **c. 114** ~ *c. 115* | **§ 1** (ueratri *eqs.*) *cf. Diosc. 4, 162; Geopon. 8, 18* || **c. 115** *uid. ad c. 114*

(III) 1 et (*pr. l.*) *om.* **n** *quoque* (*add.* **n**²) || 2 cun.] culleum *K*¹*: at uid. K*ᶜ || 3 instipato *Iuc praeeunte, edd.*ᶜ*: at uid. proll., p. XLIII* || 9 *addidi, Pont*¹ *auctore, cum edd.*ᵇ || 11 radices] particulas **m** || 12 inicito debite **m** | seruare] redige **m** | in *om.* **c** || 13 ⟨seorsum⟩ seruato *K*² | nec || 14 *et* p. 82, 6 cyathum] -tum **Afd** *edd.*ᵉ || 16 *post* atri *lac. stat. Gou*

CXXIV⌞Vinum ad aluum mouendam⌟

2. Vinum ad aluum mouendam concinnare. uites, cum ablaqueabuntur, signato rubrica, ne admisceas cum ⌜cetero uino⌝. tris fasciculos ueratri atri circumponito circum radices et terram insuper in⌞i⌟cito. per uindemiam de⌞i⌟is uitibus quod delegeris, seorsu⌞s⌟ seruato. cyathum in ceteram potionem indito: aluum mouebit et postridie perpurgabit sine periculo.

CXXVLentim quo modo seru⌞es

116 Lentim quo modo seruari oporteat. l⌟a⌞s⌟erpi⌞c⌟ium aceto diluito, permisceto lentim aceto la⌞s⌟erpiciato et ⌜ponito in sole⌝; postea lentim oleo perfricato, sinito arescat. ita integra seruabitur recte.

CXXVIOleae albae quo modo condiantur

117 Oleae albae ⌞q. [u] *a*. m.⌟ condiantur. ante quam nigrae fiant, contundantur et in aqua⌞m⌟ de⌞i⌟ciantur: crebro aquam mutet. deinde, ubi satis maceratae erunt, exprimat et in acetum co⌞i⌟ciat et oleum addat, | salis selibram in mod⌞i⌟um olearum. f[o]eniculum et lentiscum seorsum condat in acetum. si una admiscere uoles, cito utitor. in orculam calcato. manibus siccis, ⌞c⌟um uti uoles, sumito.

(I) **c. 115, 2** concinn.] *uid. ad c. 114, 1*

(II) **c. 116** *cf. Plin. 18, 308* alii [*sc.* sunt] qui lentem aceto laserpiciato respergant siccatamque oleo unguant. *uid. Colum. 2, 10, 16; Geopon. 2, 37* || **c. 117** ~ *c. 118. Colum. 12, 49, 1; Geopon. 9, 32. cf. praeterea Plin. 15, 16*

(III) **6** iis] his **cv** hiis **mn** | seorsum **mv** *edd.*[c] || **10** oportet *ex* -teat **A**[1] -tebit **d** | *an* laserpicium **F**[p] *?: nam ex meruliana scriptura* lasserpitium *unam* s *sustulit Politianus at in marginibus* Laserpicium *nitidissima atque elegantissima scriptura* (*Pol**) *adnotauit* || **15** q. a. m.] quem **F**[p]**nf** que (*corr., ut uidetur,* quē **A**[1] [**A**[2]*?*], *spscr.* q. a. m. **A**[2]) **Ad** quõ **ac** quomodo (*sed rubrica* oleae --- cond. *omissa*) **m.** *em.* (quemadmodum **v**) **A**[2]**v** || **16** in aqua || **18. 19** in modum || **19** olearium **mc** || **20** *et* p. 83, **10** utito *KG.: uid. Sven*[1]

CXXVII Oleam albam secundum uindemiam qua⸤m⸥ utaris

Oleam album, ⸤quam⸥ secundum uindemiam | uti uoles, sic condito: musti tantundem addito, quantum aceti; cetera item condito ita uti supra scriptum est. 118

CXXVIII Epit⸤y⸥rum album nigrum | uarium⸤que sic facito⸥

Epit⸤y⸥rum album, nigrum uariumque sic facito: ex oleis albis, nigris uariisque nuc⸤u⸥leos e⸤i⸥cito. sic condito: concidito ipsas, addito oleum, acetum, coriandrum. c⸤u⸥minum, f[o]eniculum, rutam, mentam; in orculam condito, oleum supra siet. ita utitor. 119

CXXIX Mustum si uoles totum annum habere

⸤Mustum si uoles totum annum habere, i⸥n amphoram mustum indito et corticem oppicato, demittito in piscinam: post ⸢diem XXX⸣ eximito. totum annum mustum erit. 120

CXXX Mustaceos sic facito

⸤Mustaceos sic facito: f⸥arinae siligineae modium unum musto cons⸤par⸥gito; an⸤e⸥sum, c⸤u⸥minum, adipis p. II, casei libram, et de uirga lauri deradito, eodem addito, et, ubi def⸤in⸥xeris, lauri folia subtus addito, ⸤c⸥um |coques. 121

CXXXI Vinum concinnare ad lotium

Vinum concinnare, si lotium difficilius transibit. ç̣ạ-p̣⟨ar⟩ịḍạṃ uel iunip⸤i⸥rum contundito in pila, libram 122

(II) **c. 118** *uid. ad c. 117 atque cf. Colum. 12, 47* || **c. 119** *uid. Colum. 12, 37, 9* || **c. 120** *cf. Colum. 12, 29; Geopon. 6, 16, 1 sq. uid. etiam Plin. 14, 83* || **c. 122** (concinn.)] *uid. supra ad c. 114, 1*

(III) **5** epitirum (-thi- **m**), *em.* (-tyrium **A**) **f A** || **8** coriandrum **d** -dum *cett.* || **11** per t. a. **m** || **14** dies **v** *edd.*[a] || **17** Mustac.] *re uera* Mu **F**[p] || **20** defrixeris (*ex* -fra-[?]) **A**[2] || **23** capidam **f** capreidam (*ut uidetur, et in marg.* capidam **F**[v] capĩdam **c**) **F**[v] **m n c** *Iuc Vict edd.*[d] campidam (cāp- **A**) **A a d**: *emendaui* (*Mazz*[e]) cedridam *duce Pont*[3], *Hö et* (-dem) *Kun* † capreidam † *Gou* || **24** iuniperum **V a d** || **24** – p. 84, **1** libram indito in duos congios *uel* libram; id in [*uel* id cum] duobus c. --- uel [in] pl. *eqs. con. K*[e]

indito, in duobus congiis uini ueteris in uase ⌊ahe⌋neo uel ⌊in⌋ plumbeo deferuefacito: ubi refrixerit, in lag⌊o⌋nam indito. id mane ieiunus sumito cyathum: proderit.

CXXXII Vinum ad is⌊c⌋iacos concinnare

123 Vinum ad is⌊c⌋iacos sic facito: de iunip⌊i⌋ro materi⌊em⌋ semipedem crassam concidito minutim; eam ⌊in⌋feruefacito cum congio uini ueteris. ubi refrixerit, in lag⌊o⌋nam confundito et postea id utit⌊o⌋ uini cyathum | ieiun⌊u⌋s: proderit.

CXXXIII Vt interdiu canes clausos habeas

124 Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu ⌈acriores et uigilantiores⌉ sint.

CXXXIV Vinum m⌊u⌋rteum sic facito

125 ⌊Vinum murt[h]eum sic facito: mu⌋rtam nigram ar|facito in umbra; ubi iam ⌈passa erit⌉, seruato ad uindemiam. in urn⌊am⌋ musti contundito m⌊u⌋rtae semodium: id oblinito. ubi desiuerit feruere mustum, m⌊u⌋rtam eximito: id est ad aluum crudam et ad lateris dolorem et ad c⌊o⌋eliacum.

(I) **c. 125** *Plin. 15, 123* [*14, 104* myrtiten Cato quem ad modum fieri docuerit mox paulo indicabimus] Cato docuit uinum fieri e nigra [*sc.* myrto] siccata usque in ariditatem in umbra atque ita musto indita [*quae secuntur* si non siccentur bacae, oleum gigni *cum apud Catonem desunt tum Plini ipsius pugnant testimonio, qui* (*15, 24*) *nostrum negat de oleo ficticio esse locutum: de re uid. Münzer 68 sq.*]

(II) **c. 124** *cf. Varr. 1, 21* canes ... consuefacias potius noctu uigilare et interdiu clausos dormire. *de hoc capite uid. Wei 115, Mazz² 68 sq.* || **c. 125** *cf. Colum. 12, 38 necnon Diosc. 5, 28; Pallad. 2, 18; 3, 27. 31*

(III) 1 *post* ueteris, *non post* indito *interp. Gou* | uaso *K²* || 3 cyathum (cia- **Af**)] -tum **Af cn** *edd.ᶜ* || 5 ischiacos **V** *Vict* isciaces **f** syacos **c** | iunipero **VA³cm** -pro **n** || 8 id utito: uini *eqs. Sven¹* (*qui uerba* uini c. *eqs. epexegesim quandam putat ad* id utito *additam*) *Th* uini *del. K²G* | cyathum] -tum **Acfmn** *edd.ᶜ* | ieiunus **f** mane ieiunus (-nis **v**) *cett.* **v** *edd.* || 10 cl.] inclusos **f** conclusos *Vict* || 14 murtheum **mnd** -teum *cett. Vict* || 17 id obl. *post* eximito (*u.* 18) *colloc., Th praeeunte, Gou* | desierit **c** desinerit **mf**

CXXXV ⸤Ad tormina et⸥ si aluus non consistet et ad t⸤ae⸥n⸤i⸥as et lumbricos

⸤A⸥d tormina et si aluus non consist⸤e⸥t et si t⸤ae⸥n⸤i⸥ae **126**
et lumbrici molesti ⸤erunt⸥, triginta mala punica acerba sumito, contundito, indito in urceum et uini nigri austeri congios ⸤III⸥. uas oblinito: post ⸢dies XXX⸣ ⸤a⸥perito et utit⸤o⸥: ieiunus heminam bibito.

CXXXVI Ad d⸤y⸥spepsiam et stranguriam

1. ⸤Ad dyspepsiam et stranguriam mederi⸥. malum pu- **127**
nicum, ubi florebit, colligito: tr⸤i⸥s |minas in amphoram infundito; uini ⸤q.⸥ I ueteris addito et f[o]eniculi radic⸤em⸥ puram contusam |minam. | oblinito amphoram et post dies XXX aperito et utitor. ubi uoles cibum con⸤quo⸥quere et lotium facere, hinc bibito quantum uoles sine periculo. idem uinum t⸤ae⸥nias perpurgat et lumbricos, si sic conci⸤n⸥nes. **2.** inc⸤e⸥natum iube⸤t⸥ esse; postridie thuris drachmam {unam} conterito et mel coctum drachmam unam et uini se⸤x⸥tarium | origan⸤iti⸥. dato ieiuno, et puero pro aetate | triobolum et uini heminam: supra pilam inscendat et saliat decies et deambulet.

CXXXVII Habitationem delutare

⸤Habitationem delutare. t⸥erram quam maxime cre- **128**
tosam uel rubricosam, eo amurcam infundito, paleas indito: sinito qua⸤d⸥riduum fracescat. ubi bene fracuerit,

(I) **c. 128** (amurcam). || **c. 129** (amurca): *uid. ad cc. 91–101 et ad c. 130*

(II) **c. 126** *Geopon. 8, 20 λαβὼν ῥοιάς, ἐνωμοτέρας λ' θλάσον, εἶτα ἐμβαλὼν εἰς κεράμιον ἐπίχεε οἴνου μέλανος αὐστηροῦ χόας γ' καὶ μετὰ ἡμέρας λ' χρῶ. cf. etiam Plin. 23, 109* || **c. 128** *cf. c. 92*

(III) 3 consistat | tinię **fA**[2] (**A**[3]*?*) || 4 trig.] XXX *cum codd. edd.* || 7 *post* ieiunus *interp. Hö*[1] || 13 utito *KG* | conco- (cumco- **m**) **ac dmv** *edd.*[e] || 15 tenias *corr.* ti- **A** || 16 iubet (lu- **a c**) *seruaui* (*item Gou*[m]) iubet⟨o⟩ *edd.*[d]; *at uid. infra, ad c. 141, 4* || 17 turis (tḥ- **a**) **ca** *edd.*[c] | *priore loco* drachmam (-chinam **nf**) **anf** *Vict* dracmam **A** *KG* dragmam **mdc,** *posteriore* drach- **mfa** *Vict* drac- **A** *KG* drag- **ncd** || 17 unam *et hic et ante* postridie (*u.* 16, *ubi del.* **A**[3]) **A** || 18 origaniti ⟨addito⟩*K*[2]*: uid. Hau*[2] || 19 eminam **A** || 24 quatriduum **mcav**

rutro concidito; ubi concideris, delutato: ita neque aspergo nocebit, neque mures caua facient, neque herba nascetur, neque lutamenta scindent se.

CXXXVIII Area | quo modo fiat

129 Aream, ubi frumentum teratur, sic faci⌊to⌋: confodiatur minute terra, amurca bene conspargatur et combibat quam plurimum. comminuito terram et cylindro aut pauicula coaequato: ubi coaequata erit, neque formicae molestae erunt, et, cum plue⌊ri⌋t, lutum non erit.

CXXXIX Ligna amurca |spargantur

130 Codicillos oleagin⌊e⌋os et cetera ligna amurca cruda perspargito et in sole ponito, perbibant bene: ita neque fumosa erunt et ⌜ardebunt bene⌝.

CXL ⌊Piro florente⌋ dapem pro bubus ⌊fieri⌋

131 Piro florente dapem pro bubus facito. postea uerno arare incipito: ea loca primum arato, quae rude⌊c⌋ta ⌊h⌋arenosaque erunt; postea, uti| quae⌊que⌋ grauissima ⌊et⌋ aquosissima erunt, ita postremo arato.

CXLI Dapem quo modo facias

132 1. Dapem hoc modo fieri oportet: Ioui dapali culignam uini quantam uis po⌊l⌋luceto; eo die feriae bubus et bubulcis et qui dapem facient. cum po⌊l⌋lucere oportebit, sic

(I) **c. 130** *Plin. 15, 34* (*§ 33* super omnia uero celebrauit amurcam laudibus Cato: *uid. supra ad c. 91*) . . . ligna macerata amurca nullo fumi taedio ardere || **c. 131** *Plin. 18, 243* [*uid. ad cc. 40, 1. 50*] idemque [*sc.* Cato]: 'piro florente arare incipiat [-pito *Mayhoff* -pias *Sillig André*] macra harenosaque. postea uti ⟨quae⟩ que [*em. Harduinus*] grauissima et aquosissima. ita p. a.'

(II) **c. 129** ~ *c. 91* (*uid. ad loc.*) || **c. 131** ~ *c. 50, 2* || **c. 132** *uid. Diehl, Rh. Mus. 83, 1934, 356 sqq.*

(III) 5 facies || 6 terra] creta *con. Schn., coll. Plin. 18, 295*: *at* 'uerbum creta ... *cod. d falso tribuunt edd.*' (*Le Bonniec*) || 7 cilindro (chi- **m**) **Anm** quālindro **f** || 9 pluet || 14 Piro] *re uera* Pi^ro **F**^p || 15 pro *del.* **A**[1] (**A**[2]?) || 17 grau.] crassissima *supra, c. 50, 2* || 20 Ioui d.] Iup̄r Dapalis *Pol** || 21 quantum *Iuc*

facies: 'Iupiter dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familia| mea culignam uini dapi, ei«us» rei ergo | macte hac illace dape po⸤l⸥lucenda esto.' manus interluito, postea uinum sumito: 2. 'Iupiter dapalis, macte istace dape po⸤l⸥lucenda esto, macte uino inferio| esto.' Vestae, si uoles, dato. daps Ioui: assaria pecu⸤nia⸥, urna uini. Ioui caste pro⸤f⸥anato ⸤sua⸥ contagione; postea, dape facta, serito milium, panicum, ⸢ạ⸤l⸥ịụṃ, lentim⸣.

CXLII ⸤Propagatio pomorum⸥

1. Propagatio pomorum ceterarumque arborum. arboribus ab terra pulli qui nati erunt, eos in terram deprimito, extollito, uti radicem capere possint. inde, ubi tempus erit, effodito seritoque recte. 2. ficum, oleam, malum punicum, mala strutea, cotonia aliaque mala omnia, laurum cypriam, delphicam, prunum, myrtum coniu⸤o⸥lum et myrtum album et nigrum, nuces a⸤b⸥ellanas, praenestinas, platanum, haec omnia genera a capitibus propagari | eximi⸤que⸥ ad hunc modum oportebit: quae **133**

Ⓘ **c. 133, 1–2** *Plin. 17, 96* Cato propagari praeter uitem tradit ficum, oleam, punica⟨m⟩, malorum genera omnia, laurus, pruna[m], myrtus [*ego cum codd.* (syr- **DdT**) -tos *cum uett. edd. Mayhoff André*], nuces abellanas et praenestinas, platanum [*quae secuntur hic infra* (Ⓘ) *ad § 3 inuenies*] || **§ 2** (cotonia) *Macr. 7, 6, 13: uid. ad c. 7, 3* | (laurum c. d.) *Plin. 15, 127; uid. ad c. 8, 2* | (myrtum a. e. n.) *Plin. 15, 122; uid. ad c. 8, 2*

Ⓘ **c. 133** ~ *cc. 51–52* || **§ 2** *uid. cc. 7, 3; 8, 2* | (prunum) *uid. tamen Plin. 15, 46* (pruna ... omnia post Catonem coepisse manifestum erit: *de re vid. Mazz² 71*)

Ⓘ 1. 4 iuppiter *utroque loco* **A** *edd.*[a] iupp- *priore*, iup- *altero loco* **c** || 2 dapem, ei rei *et* 3 istace *Th* || 6 pecuina **v** *Hau²: at uid. Schill* || 7 caste ⟨polluceto⟩ prof. *Latte duce, Schill* || 8 alium *om.* **A** || 10 ⟨ab⟩ arboribus *ex c. 51 Prad* || 11 ab] abs *K²G, coll. c. 51* || 14 cotonia **d** cotonea (-th- **n** cothona **m**) *cett. edd.*[c] cotonea *c. 7, 3* || 15. 16 myrtum *utroque loco* **a** *Vict* myr- *priore*, mir- *posteriore loco* **d** mir- (-thum *priore loco* **m**) *utroque loco cett.* mur- *edd.*[a] || 15 coniuolum (conuio- **d**[?] **a** connio- *uel* coinno- **m**) *custodiui* (*uid. Paul. Fest. 36, 30; 53, 21 L.; CGL VI 260, s. u.*), *item Gou*[m] coniugulum **v** *Schn edd.*[d]

diligentius seri uoles, in calicibus seri oportet. **3.** in arboribus radices uti capiant, calicem pertusum sumito tibi aut qua⌊s⌋il⌊l⌋um: per ⌊ea⌋ ramulum trans⌊s⌋erito. eum qua⌊s⌋il⌊l⌋um terra impleto calcatoque, in arbor⌊e⌋ relinquito. ubi bi⌊m⌋um erit, ramum tenerum infra praecidito, cum qua⌊s⌋il⌊l⌋o serito. eo modo quoduis genus arborum facere poteris, uti radices bene habeant. **4.** item uitem in quasil⌊l⌋um propagato terraque bene operito: anno post praecidito, cum qualo serito.

CXLIII* * *

